# RESOLUTIO PRÆCIPUARUM Quæstionum CRIMINALIS ADVERSUS SAGAS PROCESSUS;

CUM REFUTATIONE NOVA TAM JURIDICA, QUAM PHILOSOPHICA *Purgationis Sagarum per aquam frigidam, adversus Guilielmum Adolphum Scribonium Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, per consultationem pertractata.*

AUTORE
OTTHONE MELANDRO
Hasso Juris utriusq; Doctore.

OMNIBUS TAM IN JURISPRUDENTIA, quàm in Theologia ac Philosophia versantibus lectu nec infrugifera, nec injucunda.

*ADIECTA EST ETIAM PROPTER SImilem materiam, præclarissimi Philosophi M. Rodolphi Goclenii, in illustri Cattorum Academia Professoris publici ORATIO pereruduta & elegans, de NATURA SAGARUM, in purgatione & examinatione per frigidam, aquis innatantium.*

Cum necessario rerum ac verborum Indice.



*LICHAE, APUD NICOLAUM ERBENium, Anno M. D. XCVII.*

NOBILISSIMO, STRENUO, Magnificis, Amplissimisq; Clarissimísq; viris ac Jureconsultis præstantissimis

DOMINO OTTONI A STARSCHEDEL Illustrissimi Hassiæ Principis Domini Mauritii Vicario integerrimo, & potentissimi quondam Electoris Saxoniæ Domini Christiani felicissimæ recordationis Consiliario intimo: &

*DOMINO JOACHIMO VVILLERO Cameræ quondam Imperialis Assessori, nunc autem multorum Electorum, Principum, Comitum, Civitatum imperialium Advocato & consiliario celeberrimo: &*

*DOMINO EVERHARTO A VVEIHE, Decretalium olim Professori in Academia VVittebergensi eximio, & duorum Saxoniæ Electorum Domini Augusti & Domini Christiani laudatissimæ memoriæ Consiliario, nunc verò Illustrissimo Hessorum Principi Domino Mauritio à Consiliis aulicis: &*

DOMINO ANDREÆ CHRISTIANO Hannoviensi & Nassovio Consiliario fidelissimo;

*Patronis, Dominis, & amicis suis summè colendis*

S. P. D.

OTTHO MELANDER JURIS UTRIUSQUE DOCTOR.

FALCEM EGO FORtassis in alienam, quod ajunt, messem misisse nonnullis videbor, quód de Sagis Tractatum hunc, qui ad Philosophos magis & ad Theologos, quám ad Jureconsultos pertinere existimatur, scribendum susceperim. Sive enim naturam maleficarum, sive vim agendi potestatémq; contemplari, paulóq; accuratiús indagare velimus, non intra Jurisprudentiæ nobis septa ac terminos consistere datur, sed & ad Philosophiam & ad Theologiam sæpenumero decurrere, earúmque opem ac consilium implorare necesse habemus. Physica namq; cúm aliâs principiū motus ac quietis in corporibus naturalibus contempletur, tum veró etiam Sagarum naturæ ac operationis consideratio inde petenda est. Ac ut sanum de utróque ac cælesti veritati consentaneum fiat judicium, oportet ut Theologia accedat, Physicorúmq; disputationes, exquisitissima illa æterni judicii sui lance ponderet. At veró veniam mihi non solúm dabunt illi, quicúnque erunt, critici, sed etiam me excusatum habebunt, cúm Politicam omnium artium architectonicam ab Aristotele *lib. 1. Ethicor. ad Nicomach. cap. 2.* dictam esse, ad mentem intelligentiámque revocaverint. Quod idem ad Juris-

Jurisprudentiam recté quadrare ipſe Ulpianus Jureconſultus teſtis eſt locupletiſſimus, quando Jurisprudentiam veram non ſimulatam Philoſophiam appellat *in l.1.§.1. ff.de juſtit. & jur.* Sicut enim Politicæ ſive Ethicæ propoſitum eſt, hominem in hac vita veluti in turbulentiſſimo quodam pelago navigantem, variisque propterea procellis expoſitum, in felicitatis portu collocare, idque agere, ut animus humanus pulcerrimis virtutum ornamentis perpolitus, in omnibus dictis ac factis ſibi conſtet: Sic Jurisprudẽtia boni & æqui notitia eſt, quâ æquum ab iniquo ſeparatur, licitum ab illicito diſcernitur, & homines non ſolúm metu pœnarum, verúm etiam præmiorum exhortatione boni efficiuntur, ut Ulpianus *in l.1.§.1.ff.de juſt.& jur.* eleganter diſſerit. Sicut etiam Politica ſive Ethica artium architectonica eo ipſo eſt, quód omnium diſciplinarum ſcientiarúmque ſubſidiis indiget ad intellectum bené informandũ, ut ab hoc iterũ voluntas erudiatur, ac, ſi quãdo appetitus extra orbitã ferantur, revocetur, & in gyrum rectæ rationis ducantur: Sic ad Jurisprudentiæ perfectionẽ omnes facultates & ſcientias unanimi quodam conſenſu concurrere, ac quaſi conſpirare in cõfeſſo eſt. Et quod de Ethica affirmavimus, id ex iis planum manifeſtúmque evadit, quæ

 Philo-

Philoſophus *toto libro 6.Ethicor. ad Nicomach.* prolixé eruditéq; perſequitur. Cúm enim libris quinque præcedentibus explicationem voluntatis,&,quæ huic adjunguntur, virtutem moralium complexus eſſet ac intelligeret, voluntatem officium recté ſuũ facere non poſſe, niſi intellectus hominis á variarum rerum ſcientiis bené inſtructus paratúsque eſſet, facere non potuit, quin huic quoque proprias quasdam virtutes deſtinaret. Ac intellectui quidẽ ſpeculativo intellectum, ſcientiam, & ſapiẽtiam: intellectui autem practico prudentiam & artem aſſignavit. Intellectus principia & propoſitiones immediaté veras, ex quibus concluſiones veriſſimæ deducuntur, contemplatur. Scientia eſt habitus ex illis concluſionibus & demõſtrationibus, quæ per hujuſmodi principia fiunt, comparatus. In id namque demonſtratio, atteſtante Philoſopho *in Analyt.* incumbit, ut propriam aliquam qualitatem ſive τό πάθος per cauſam immediaté veram in ſuo ſubjecto ineſſe demonſtret. Concluſio illa, quæ ex iſta oritur demonſtratione, ſcientia eſt. Quo ſenſu demonſtratio ſcientiam parere in infinitis locis á Philoſopho affirmatur. Sapientia τά τιμιώτατα & pſtantiſſima quæque ſpeculatur, & habitus eſt ex intellectu & ſcientia compoſitus. Ars veró eſt talis habi-

habitus, qui opus aliquod cum recta ratione facit, sicut prudentia, quid bonum rectúmque sit, & quid contra malum, etiam atque etiam considerat, sic quidem, ut cæterarum virtutum omnium dominã quandam ac reginam illam appellare recté nobis liceat. Quæ omnia hactenus á me proposita sunt, ut ostenderem, scientias ac artes omnes Ethicam sive Politicam ita sibi arrogare, ut suo quodam jure proprias illas sibi vendicet, ac in virtutum numero reponat, ideóque ipsam non abs re, sed ex dignitate sua á Peripateticorum Principe omnium artium architectonicam vocatam esse. Ex quo iterũ cõficitur, Jurisprudentiã scientiarum architectonicam, cæterarum artium præsidiis neutiquam carere posse, sed tanta cum iis cognatione conjungi, ut multarum quæstionum decisiones inde depromat; id quod ex quám-plurimis Jureconsultorum respõsis liquet. Sic septimo mense nasci perfectum puerum, & ideo eum, qui ex justis nuptiis septimo mẽse natus est, justum filium esse ex autoritate Hippocratis respondit Ulpianus Jureconsultus *in l. 12. ff. de Stat. homin.* Sic cúm Titius pater decederet superstite filio Sempronio ac Seja uxore prægnante relicta, ac de divisione hæræditatis, quantum in ea superstiti filio adjudicandum assignandúmq;

dúmq; foret, quæreretur quartam illi partem, quia plerúmque tres naſcantur, aſſignandum eſſe reſpondit Paulus Jureconſultus *in l. Antiqui 3. ff. ſi pars hæred. pet. Adde l. ſi pater 36. ff. de ſolut.* Sic poſt decẽ mẽſes á morte parentis natum non admitti ad legitimã hereditatem, ſcriptum reliquit Ulpianus *in l. Inteſtato §. poſt decem ff. de ſuis & legit. hered.* cui ſententiæ Scævola quoque *in .l. Gallus in princ. ibi in decem menſibus proximis ff. de liber. & poſth. et Marcel. in l. Titius in princ. ff. de fideic. libert. & Pomponius in l. ſi ita in fin. ff. de manumiſſ. vind.* ſubſcripſerunt. *Adde l. ſi quis & ibi Alciat. ff. de verb. ſignif. & l. Quidam cum teſtan. C. de poſth. hered. inſtit.* Quod ipſum Juſtinianus Imperator *in Novell. de reſt. & ea quæ par. undecim. mens.* approbavit, cúm undecimo menſe natum non eſſe filium legitimum defuncti conſtituit. Ec huic ſententiæ Hippocrates aſtipulatur, quando *in lib. de natur. puer. vel fœt.* non admittit undecimi menſis partum. Sic totus feré Digeſtorum titulus de ædilitio edicto ex deciſionibus Medicorum Phyſicorúmq; conſtat. Sic in inſpectione vẽtris obſtetricũ relationi credendum eſſe textus eſt *in l. 1. in princ. ibique DD. ff. de inſpic. ventr.* Mitto alia innumerabilia Jureconſultorum reſponſa ex literis Philoſophicis deſumta, quæ paſſim legenti ſeſe offerunt. Cúm igitur hactenus demonſtratum ſit, Jurispruden-

dentiam cæteras artes ad deliberationes suas & consilia admittere, vitio mihi non dabitur, quód de Sagis nonnulla ex Philosophorum Theologorúmque scholis, ad instituendum criminalem adversus eas processum in medium protuli.

Restat, ut deinceps exponam, quæ me caussæ ad edendam consultationem hanc impulerint, & cur vobis potissimúm Magnifici, Nobiles, Clarissimi, Consultissimíque viri illam inscribere ac dedicare voluerim. Cúm in praxi Juris-civilis, cui me totum dedi, consulerer á fœmina quadam maleficii insimulata, diligēter excussi omnia, quæ literis memoriæque á viris quibusdam doctissimis de hac materia prodita extant; ac reperi ego tum multa, quæ quidem neque in Philosophia, neque in Jurisprudentia solidum aliquod habent fundamentū; sed tamen usu multarum gētium ac consuetudine usq; adeo inveterata sunt, ut Sybillinis vaticinationibus ipsísq; Apollinis oraculis veriora esse credantur. Itaque processus adversus mulierculas leviter diffamatas ad ista placita multis in locis exiguntur, & tam diu crudeliter omnia immanitérque fiunt, dum confessio delicti ipsis extorqueatur. Quo facto rectâ ad ignes proceditur. Occasionē igitur ex facti spetie mihi oblata nactus, refutavi stro-

phas illas, & quidem tantó diligẽtius, quã-
tó crebrius experientia testatum facit, per
istas absurdissimorum dogmatum ineptias
multas honestissimas fœminas in summũ
vitæ ac honoris discrimen non semel fuisse
adductas. Cúm autem communi & publi-
co malo quilibet pro virili sua medicinam
afferre teneatur, tantúmq; absit, ut malum
istud aliquid remittat, ut etiam latiús cot-
tidie serpat, omnésque feré Reipub. par-
tes contaminet, periculũ hac editione fa-
cere volebam, an ad aliquam tandem mo-
derationem ac æquitatem inhumanitas il-
la revocari posset. Quam quidẽ editionem
viri nonnulli doctissimi in quibus est cele-
berrim᾽ ille Philosophus Rodolphus Go-
clenius, literis ad me datis diligenter urse-
runt, quorũ volũtati repugnare religio mi-
hi fuit. Cur veró vobis, Magnifici, Nobiles,
Clarissimi, Cõsultissimíq; viri, consultatio-
nẽ hanc dedicare voluerim, duæ potissimũ
sunt caussæ. Primó quidem, ꝙ exploratissi-
mé cognitum habeam, vos cúm omnes ali-
as artes & scientias, túm universa Jurispru-
dentiæ monumenta ita exacté scire atq; in-
telligere, ut antiquissimos illos Jurecõsul-
tos sapiẽtia judiciisq; acrimonia si non an-
tecedatis, at certé adæquetis. Quamobrẽ
vestro vos merito ad tãta dignitatũ fastigia,
diis hominibúsq; approbantibus provecti

estis. Qui enim, Nobilissime ac Strenue Domine OTTO A STARSCHEDEL, potentissimo quondam Saxoniæ Electori, re & nomine CHRISTIANO, in cõsilio adfuisti, idẽ tu magna cũ laude tua, ac admiratione omniũ, magnóq; cũ patrię nostrę emolumẽto illustrissimi laudatissimíq; Hassiæ Principis DOMINI MAURITII vicẽ nunc geris. Et tu, JOACHIME VVILLERE Jurecõsulte nobilis, amplissimis & olim perfunctus es honoribus, & adhuc hodie perfungeris. Quid. n. quæso te p Deũ immortalẽ homini literato, ad immortalem nominis gloriã accidere potest honorificentius, q̃ inter Sacri Romani Imperii Cæsareæq; Majestatis Patres conscriptos, supremęvé Curię Assessores, primariũ obtinere locũ; quẽ tu dignitatis gradũ multos annos ita & tenuísti & ornâsti, ut Pręses Cameræ Impialis atq; Assessores haud mediocrẽ animo suo molestiã caperent, cũ tuo te isto munere abdicabas. Nũc autem multorũ & Electorum & Principum & Ducum & Comitum & Civitatum imperialiũ consiliarius es ac advocatus celeberrimus; atq; id tali qdẽ ratione, ut omnes uno ore fateãtur, inter omnes Germanię Advocatos tibi primas deberi. Quę veró eloquẽtia, VVeihi cõsultissime, tuas non dicam percensendo, sed enumerando consequatur laudes?

In

morum elegantia, & gravitas cum pulcerrima corporis venustate tam amica inter sese contentione certant, ut omnes te præstantes viri in oculis ferant, magnoperéq; suspiciant. Decretales Juris-canonici summa quadam singularíque dicendi copia annos aliquot non sine ingenti laude in Academia VVittebergensi professus es. Potentissimis illis duobus Saxoniæ Electoribus patri AUGUSTO & filio CHRISTIANO fuisti á consiliis. Et in Holsatia Cancellarii munere laudabiliter functus es. Nunc Illustrissimi Hassiæ Principis Domini MAURITII Consiliarius es intimus, & tum ad Cæsaream majestatem, tum ad reliquos Imperii proceres Orator disertissimus. Et tuas, Andrea Christiane præstantissime, laudes si pro dignitate pertractare velim, *desinat ante dies, quám consequar omnia dictis*, ut Poëta canit.

Hoc autem memorabile admodum est, tuúmque immortalitati nomen consecrat, quód omnes Orthodoxi per Imperium Comites in consiliis te suis habent, & propter eruditionem incredibilem summámque rerum omnium gerendarum dexteritatem magni te faciunt. Altera caussa est, quæ ad hunc vobis Tractatum, Viri nobiles & consultissimi, dedicandum me impulit, ut meam erga vos tum observantiam

tum

tum gratitudinem publicé teſtatam facerem, & in veſtram me benevolentiam ac amorem magis magiſque inſinuarem. Jam enim tum vos omnes mihi bené velle hinc intelligo, quód de veſtra mihi voluntate liberaliſſimé polliciti eſtis. Et cúm abhinc biennio, Joachime VVillere, Spiræ te conſalutarem, multis me ornâſti beneficiis. Tuum quoq;, Andrea Chriſtiane, mei provehendi ornandíque ſtudium ex Goclenii literis aliquoties cognovi, cúm ad me ſcripſit ille, velle te operam dare, ſi Illuſtris & Generoſus Hannoviæ Comes DOMINUS PHILIPPUS LUDOVICUS, heros incomparabilis, publicum Gymnaſium aperiat, ut quidem aperire ipſi in animo eſſe conſtans eſt fama, ut ad profeſſionem Juris & Oratoriæ vocarer. De qua tui in me animi propenſione multum equidem te amo. Accipietis igitur, Magnifici, Ampliſſimi Clariſſimiq; viri hanc conſultationem meam ſerena fronte, veſtráque ei auctoritate contra obtrectatorum morſus patrocinium præſtabitis. Id quod pluribus á vobis haud petam, ne veſtræ benevolentiæ diffidere videar. Itaque bené feliciterque valebitis, & veſtro me favore ſingulari proſequi non deſinetis. Datis Honæ Heſſorum é Muſæo meo, Anno CHRISTI Redemtoris M.D.XCVII. XVIII.

XVIII. Julii, quo quidem die invictissimus Romanorum Imperator Rodolphus ejus nominis II. Viennæ Austriæ, Anno partus virginei 1552. in hanc lucem editus est.

*Vestri observantissimus*

*Ottho Melander* J. U. D.



## AUGUSTINUS, DE SPIRITU & Anima ~~& Littera,~~ Cap. 28. Tom. 3. col. 871. C. D.

*Idcirco* [ait] *quædam futura prædicant, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt & seducunt. Vnde quædam mulierculæ post Satanā conuersæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ credunt se & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum Dea, vel cum Herodiade & Minerua & innumera mulierum multitudine equitare, earúmque iussionibus obtemperare. Ipse namque Satanas, qui transfigurat se in angelum lucis, cúm mentem cuiúsque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, illicó transformat se in diuersarum personarum species ac similitudines: & mentem, quam captiuam tenet in somnis deludens, modó læta, modó tristia, modó cognitas, modó incognitas personas ostendens per deuia quæque deducit. Et cúm solus hæc patitur spiritus infidelis, nec in animo, nec in corpore euenire opinatur, idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur, cúm Ezechiel & alii Prophetæ, Ioannes etiam Euangelista & Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint.*



RESO-

# RESOLUTIO PRAECIPUARUM QUÆSTIONUM CRIMINALIS ADVERSUS SAGAS Processus: *Cum refutatione nova tam Juridica, quàm Philosophica purgationis Sagarum per aquam frigidam &c.*

## SPECIES FACTI.

IN oppido N. N. studiose nunc omnibúsque, quod ajunt, vestigiis in veneficas inquiritur, ut hæ quidem in vincula conjectæ mortéque multatæ radicitus ex finibus humanę naturę exterminētur. Hoc veró pacto cū ipsis proceditur. Aut de veneficio diffamata aliqua fuit antea, aut nō fuit. Si diffamata fuit antea, accedente unius Sagæ testimonio comprehēdi, ac in vincula conjici jubetur. Si non fuit diffamata, sed

tamen ab aliis veneficis ſemel atque iterum ſocia criminis nominata, itidem in carcerem detruditur.

Quo facto de confeſſione eliciendà amica primùm & placida tractatio ſuſcipitur, quâ ſi nihil perficiatur, in aquas decuſſatim vincta conjicitur. In quibus ſi ſupernatet, neque ſubſidat, veſperi de cruciatibus eculei ipſa ſubjicienda agitur, ac tum quidem, comminatione gravis quæſtionis facta, ſi non confiteatur, duriter torquetur, tantiſper dum vel pactum ſeſe tantùm cum Satana iniiſſe, vel incantationibus præterea ſuis hominibus pecudibúsve damnum intuliſſe cõfiteatur. Poſt unum atque alterum diem iſtam ſi confeſſionem in judicio

repetat

repetat, in eáque persistat, ad incendii supplicium damnatur, é medioque tollitur.

Jam vero fœmina quædam cũ omnib. fortunę ornamentis, tùm honestatis etiã virtutísq; existimatione culta atq; exornata (quippe quæ non solũ per omnes vitæ suæ dies eas mulierculas, in quas vel minima vẽeficii suspicio cadebat, accerbissimè oderit, ab earũq; cõsuetudine sese abstinuerit, sed etjam sacrarũ literarũ monumenta & domi suæ dies atq; noctes indefesso studio evolverit, & conciones publicas diligenter visitarit, & eleemosynã erga paupes benefice exercuerit, & nihil ad summam deniq; diligẽtiã reliquũ fecerit, ea ut studiose pageret, q̃ matronæ è religione christianę conveniũt, ut

hanc quidem ipsi laudem omnes boni tribuunt) à veneficis quibusdam hominibus omniũ alioqui scelerum flagitiorumq́ue maculis notissimis extremeq́ue pauperibus, ac ipso, quod est in proverbio, Leberide nudioribus (ex quorum numero unus in carcere collum laqueo sibi fregit) ignibus postea flammisq́ue consumptis, ac ex rebus humanis sublatis, in tormentorum doloribus veneficii rea prodita est. Etsi vero, dum inquisitio instituitur, rectè facti conscientia ipsa sese sustentans vel pedem loco movere minimè omnium cogitabat, tandem tamen tùm à liberis, tùm à propinquis suis aliis, qui carceris totiusq́ue processus atrocitatẽ aliquod illi periculum minari affirmabãt,
diu

diu multumque sollicitata ac demum persuasa fugam arripuit. Itaque in quæstionem nunc venit, num processus, qui eo in loco instituitur, sit juri consentaneus, & an quædam ex hoc facto emergant indicia ad inquirendum de foemina ista, quæ fugæ sese mandavit.



# INVOCATO DIVINI NUMINIS AUXILIO.



UM innumerabilia á DEO OPT. MAX. hominum generi tributa sint beneficia, túm veró maximé, ad Reipublicæ quidem litterariæ munera quod attinet, Methodo ordinatáque docendi via nullum vel præstantius est, vel utilius. Quemadmodum enim confusio obscuritatem parit & ignorantiam, sic é contrario ea, quæ ordine docentur, non solúm magnā perspicuitatē & facilitatē accipiunt, ut dilucidiús clariúsq; intelligātur, *quæ Pauli Jureconsulti verba sunt in l. 1. ff de dol. except.* Sed etiam faciliús memoriæ, (quæ aliàs infirma est & labilis *l. Peregre 44. ff. de acquir. possess.*) infiguntur atque inhærent. Divisio namque seu partitio materiæ animum legentis in materia præsertim laté patenti incitat, mentem intelligentis præparat, & memoriam artificiosé informat, *ut inquit gloss. in* §. *Igitur in procœm. Instit. sicut Joan. Sneid. lib. 3. Instit. tit. 1. n. 1. et 2. doctrinā successionis ab intestato exorditur, et laté ordinis utilitatē cōmendat Robert. Marant. in procœm. de ordin.* Judic.

Quamobrem, ut propositi facti discussio facilior nobis evadat, & innocentia cōsulentis fœminæ tanto manifestiús omnibus conspicienda ob oculos ponatur, operæ mihi

ræ mihi pretium visum fuit subsequentes quæstiones, quæ ex commemorato facto nō aliter ac rivuli quidam ex fonte suo scaturiunt, paulo diligentiús explicare.

Dicam autem primó; An Judex in criminalibus statim à carcere incipere possit, & quid de hoc in maleficii crimine notandum veniat. p. 8.

Secundó An fama, & quomodo, ad inquisitionem & ad carcerē sufficiens indicium pariat. 26.

Tertió confessio facinorosi, qua alium socium criminis nominat, quid de jure operetur. 28.

Quartó quid de purgatione Sagarum per aquam frigidam sit sentiendum. 57.

Quinto num diffamatio & confessio maleficorum, quâ socios alios produnt, si justis requisitis destituantur, & subsecuta inde per

de per frigidam purgatio, ſuffici- ens ad torturam indiciũ pariant, & quid de confeſſionibus hinc in eculeo extortis ſit ſentiendum.

Sexto quando fuga faciat indicium ad inquiſitionem & ad torturam.

Septimo qua pœna Sagæ ſint afficiendæ, & an propter ſolum pactum, quod cum Diabolo inierunt, ignis ſupplicio tolli, ex rerúmque univerſitate infra mortuos omnes amandari debeant.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS PRIMÆ.

*An Iudex in criminalibus ſtatim à carcere incipere poſſit, & quid de hac in maleficii crimine notandum veniat.*

PRINCIPIO igitur, ſive Inquiſitionis ſive Accuſationis via ſuſcipiatur, qui duplex eſt in criminalibus procedendi modus *VVeſenb. in Paratit. ff. de Accuſat. & inſcript. num. 2. & 3. Althus. Juriſpr. Rom. lib. 2. cap. 2.*

*cap,2.Jul.Clar.in pract.crimin.lib.5.quæst.3.num.1. Carol.V.Imperat. in Ordinat. crimin.cap.6.* Von annehmung deß angegebenen Ubelthäters von der Obrigkeit vnd Ampts wegen *& cap.11.* Von annehmung deß Ubelthäters so der Kläger Recht begehrt ( hic, quia Judicium criminale ſine accuſatore non procedit *l. Quamvis 19. C.ad l.Jul.de adulter.l.fin.ff.de privat. delict.l.Reſcripto 6.§.ſi quis ff.de Muner.l.pen. C. de his qui accuſ.l. Si cui ff. de accuſat.& inſcript.cap.1. extra de accuſat.* accuſator aliquis ſit neceſſe eſt, quód ante omnia in publici judicii conſtitutione de accuſatore quæri oporteat ſecundum autorem ad Herenn. *lib. 1. cap. 5.* iſtic ex publica fama, quæ vicem accuſatoris ſupplet.*c. Qualiter & quando.& c. cum oporteat extra de accuſat.Mar.int.part. 2. de ord. judic. num.3.VVeſenb.d.loc.* Magiſtratus in autorem delicti inquirit. *l.2.§.ſi publico ff.ad l.Jul.de adult.l. Ea quidem 7. C.de accuſ.l.3.§.præterea ff. de ſuſp.tutor.l.Nullum C.de Teſtam.l.pen.C.de probat. l.1.C.de cuſtod.Reor.d.c.Qualiter extra de accuſat.ibique Canoniſt.)* Judex abſque legitima facta informatione, & idoneis nullis præcedentibus indiciis à carcere incipere non poteſt *l.1.ff.de cuſtod.& exhib.reor.* ubi Ulpianus Jureconſultus *de cuſtodia reorum,* inquit, *Proconſul æſtimare ſolet, utrum in carcerem recipienda ſit perſona, an militi tradenda, vel fidejuſſoribus committenda, vel etiam ſibi. Hoc autē vel pro criminis, quod*

*objicitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus, qui accusatur, facere solet.* Quibus circumstantiis non consideratis si Judex hominem eum in carcerem detruserit, quem detrudere non debebat, injuriarum adversus ipsum agi potest *l. Nec Magistratibus ff. de injur.* per quam injuriarum actionem injusté in vincula conjectus & damnum & satisfactioné pro injuriis consequitur. *l. pen. ibi, cúm etsi nihil in suo censu C. Qui bon. ceder. poss. l. statulibet rationem ff. de statulib. l. si vero. §. 1. ff. Qui satisd. cog. l. si creditores in fin. ff. de privileg. credit.* Quam quidé in sentétiam Cameræ Imperialis Assessores quondam pronunciásse, Reiq; publicæ Coloniensis proceres cuidã Petro Quittinck propter injustę in carcerem detrusionis injuriam in sexcentos aureos condemnâsse ex Friderico á Tautenbergk *in suo virid. conclus.* Jurid. *conclus. 98.* refert Mynsing. *cent. 5. observ. 69. n. 6.* Et sine prævia causę sufficienti informatione Judicem ad carceré procedere non posse Imperator Cõstantius præclaré scriptũ reliquit *in l. 2. C. de custod. Reor.* cujus verba hæc sunt: *Si quis in culpa vel crimine fuerit deprehensus, quó dignus claustris carceris & custodiæ squalore videatur, auditus apud acta, cúm de admisso constiterit, pœnã carceris sustineat, atq; ita postmodũ eductus apud acta audiatur. Ita enim quasi sub publico testimonio*

comme-

*cōmemoratio admißi criminis fiet, ut judicibus immodicé ſævientib. fræni quædā tēperies adhibita videatur Add. Paul. lib. 5. Sentēt. tit. 31. & l. 7. ff. de Accuſ. Bald. in d. l. 2. C. eod. tit. Bart. in l. 1. ff. eod. tit.* Quod idē & de Jure Saxonico obtinet Land. *lib. 2. art. 9. VVeſenb. in parat. ff. de accuſat. d. nu. Angel. in tract. malefic. verſ. hæc eſt quædā inquiſitio verſ. Secundó principaliter n. 30. & verb. quód fama public. præced. n. 4. verſ. animadvertendū & in verbo Judex cōmiſit quód Laicus n. 4. verſ. ſed cauti Judices Franc. Brun. meliús hoc declarat in tract. de indic. et tortur. quæſt. 9. part. 2. n. 4. Dec. cōſ. 189. Hipp. in pract. crim. verb. cōſtante n. 1. & aliquot ſeqq. Salycet. in l. Nullus n. 4. C. de exhib. & tranſmitt. reis & l. ult. circ. fin. C. de quæſt.* quos velle, ſaniorē, magis piā, et crebriús receptā eſſe ſententiam illam, quā nō niſi præcedente juſta informatione Judicē in carcerē aliquē cōpingere poſſe ſtatuitur, memoriæ prodidit Mynſing. *d. cent. 5. obſerv. 69. n. 2.* Atq; hanc ſententiā veluti magis approbatā recentiores cōmuniter ſequi proxé admodū & nervosé demōſtrat Laurēt. Kirchov. *cent. 5. cōm. opin. cōcluſ. 30. idē expreſſé cōſtituit Car. V. Imp. in ordin. crim. c. 6.* ubi ſeveré edixit ut nemo in carcerē conjiciatur, niſi q de maleficio quodā p publ. famā ſit diffamatus, vel alia fide digna indicia & præſumtiones in promtu ſint, *verb.* So jemand einer vbelthat durch gemeinē leumut berüchtiget/ od' anderer glaubwürdiger anzeigung/ vñ argwönig
vnd

und derhalben durch die Obrigkeit von Ampts halben angenommen würde. Et *in cap. 218.* vetatur Magistratus aliquem sine præcedente diffamatione, sinistra maláve fama, & aliis sufficientibus indiciis comprehensum carceri includere, ne comprehensus existimationis suæ ac honoris detrimentum aliquod accipiat. Verba hæc sunt: Daß durch die Obrigkeit etwan leichtlich auch Erbare Personen/ohn vorgehend berüchtig bösen Leumut vnnd andere gnugsam Anzeigung angegriffen vnd ins Gefängnuß bracht werden/ vnd in solchem Angrieff/ etwan durch die Obrigkeit geschwind vnnd vnbedächtlich gehandelt wirdt/ dardurch der Angegriffene an seinen Ehren nachtheil erleidet.

Non obstat, quód multi iique supremæ auctoritatis Jureconsulti sive potius Juris interpretes, in causis criminalibus semper á carcere incipi posse docuerunt, *ut Bald. in l. consentaneum num. 11. C. Quomodo & quand. Jud. sent. & l. 2. num. 3. C. de his qui latron. vel al. Paris. de Put. in tract. de Synd. verbo captura num. 13. & verbo quia plerúnque num. 1. ubi plures in eadem sententia commorantes adducit Bartol. in l. Sacrilegii. §. Labeo num. 2. ff. ad l. Jul. peculat:* Altera enim opinio communis est, & tum veritati juris tum æquitati magis consentanea, quemadmodum supra demonstratum est. A communi autem opinione in judicando & con-

& consulendo nón est recedendum. *Alex. cons.25.viso processu num. 2.volum.6, Curt.Sent. in cons.43.num.3.& cons.57.num.9, & 13.* præsertim quia & optimis rationibus & argumẽtis hæc sententia vera esse dilucidé evincitur, neq; á lege vel á canone aliud disponitur. Quotiescúnque enim communis opinio falsa dilucidé reperitur, vel probabilibus rationibus & argumentis erroris convinci potest, id quod sapientissimi Judicis prudenti discretioni relinquitur. *Abb. in c. tua nos num.9.de usur.& Barbat.in cons.28.scripsit bellissimé num. 2.volum. 1.* vel quando canon aut lex aliud disponit, legi potiús vel canoni, quám communi opinioni standum erit de sententia *Bero.in quæst.116.num.2. Nevizan. in sylv.nupt.lib.5.Joseph.Mascard.de probat. volum. 1.conclus.395.num.28.29.30.*

Accedit, quód Carolus V. Imperator *in Ordinat.crimin.d.c.6. & 218.* sententiam istam cõstitutionibus suis peculiariter editis expressé serióque confirmaverit. A constitutione autem Carolina in criminalibus Judici ne transversum quidem unguem discedere licere juramentũ illud, quo omnes per Germaniam Romano imperio subjecti tum Magistratus, tum Judices devincti obstrictiq; tenẽtur, evidẽter ostendit, cujus conceptæ formulæ habentur *in cap.3. & 4.*

Quid? quód Judex contra communem opinio-

opinonem, ex præjudicata quadam præsumtione, & motu proprio singulariter judicans, litem suam faciat *Bartol.in l.2.nu. 5. C. de pœn.Jud.qui mal.judic.Felyn.in c.1.n. 54. de constit.* quia recedendo à communi opinione præsumitur Judex per imperitiam judicare *Alex.cons.95.nu. 6.volum.2.Incip.visis processibus.* Veritas enim & communis opinio æquiparantur. *Afflict.in c.1.n.8. tit. an remov. deb.test. per notat.in l.Barbarius ff.de offic.Prætor.Gail. lib. 1. observ.153.n.5.* & Judex, si excedat fines officii sui, puta si procedat absq; caussæ cognitione in præjudicium alterius, privatus reputatur, ita quidem, ut impuné ei non pareatur, sed licité resisti possit, quia tanquam privatus procedere dicitur. *l. Omnes Judices C.de Decur. l. Factum à Judice ff. de Reg. Jur.c.conquerente de restit.spoliat.l.Prohibitum est C.de Jure fisc.lib.10.Menoch.de recuper.poss.in 8.remed.n.9. Anchar.consil.248.num.2.incip.ad prædicta dubia,* Hinc est, quód Judex injuriarum conveniri possit, si extra judicium alicui injuriam faciat *d.l.Nec Magistratibus ff.de injur.Gail.lib.2.observ.76.num 4.*

O imperitos igitur ô cæco quodam eóq; privato affectu laborantes Judices illos, ô Sisamnes iniquos & tyrannicæ cujusdam crudelitatis notâ insignes, qui, posthabita muneris sui amplitudine ac dignitate, cujuslibet famæ aura impulsi aliisq; certis indiciis

diciis prorsus destituti, minimé expendentes, quód isti famæ, vel inimici ac malevoli, vel homines omnibus sceleribus notati, vel á mente rationéq; plané deserti originē dederunt facultatémq;, hominem aliquē in squalidissimi cujusdam carceris compedes compingunt, ac ibi eum non modó cū corporis ac fortunarum suarum existimationísq; dispendio, verúm etiam, quod nō raró fieri videmus, cum irreparabili æternæ salutis intertrimento captivū detinent, solitariúmque relinquunt. Hinc carceris ipse tædio metúq; graviorum cruciatuum expugnatus ea confitetur delicta, quæ tantum abest in sese ut admiserit, ut nunquam ei vel per somnium in mentem venerint. Et dum hanc processus severitatem Judices illi aggrediuntur, minimé cogitant, omnia tum divina tum humana jura perverti, cœlúmq; inferis terrā superis misceri. Quid enim illum renum scrutatorē ac καρδιογνώστην DEUM OPT. MAX. latere possit? Is veró adversus Adamum primum parentem nostrū, cujus delictum exploratissimé cognitum habebat, indicta caussa nihil statuit, sed culpa ex eo interrogata defensionem illius æquo animo ac patienter audivit. *Gē.3. vers.3. Deus omnipotens 2.q.1.* Citatio namque, quæ juris naturæ est, ac defensionem continet, nemini auferri debet *capit. 1. extra de causs. possess. & propr. l. fin. C. Si per vim vel ali. mod. cle-*

*ment.pastoralis.§.cæterum de re judic.Marant. part. 6.de ordin.judic.nu.3.* usque adeo, ut nec summus Princeps sive Imperator, quamvis legibus solutus sit *l.Princeps ibique DD.ff.de legib.* contra absentem non vocatum procedere aut aliquid in ipsius damnum concedere possit *Mynsing.cent.6.observ.6.num.3.* Cogitate quæso vos Judices, carcerem non pœnæ, sed custodiæ caussa adinventum esse, atque ita in criminalibus carcerem attemperari oportere, ut non pœna sit, sed custodia *text. in l.Aut damnũ.§.solet ff.de pœn.l. incredibile C.eod. tit.text.notab.in l.1.C.de custod.Reor.glos.ib.in verb. cruciatio text.in l.fin.C.eod.Gail.li.1.observ.26.n.7. d.l.1.C.de custod.Reor.Car.V.Imp.const.crim.c.11.cũ carceres ad custodiã, & non ad difficiles ac periculosos captivorũ cruciatus factos et institutos esse debere scribit verb.* die Gefängnuß sollẽ zur behaltung vñ nit zu schwerer gefärlicher Peinigung der Gefangenẽ gemacht vñ zugericht seyn. Expendite, ac recta vobiscum via reputate, quod Imperatores Gratian. Valent.& Theodos. *in l 5.C.de cust.Reor.* hisce verbis scriptum reliquerunt: *De his, quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione sancimus, ut aut convictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuturna non maceret. Jubemus autem, ut intra tricesimum diem semper Commentariensis ingerat numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordines ætatémque vinctorum. Quod si hæc prætermiserit,*

*officium*

*officium quidem viginti libras auri ærario nostro jubemus inferre: Judicem veró desidem ac resupina cervice tantúm titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna, decem libris auri multandum esse cēsemus.*

Considerate amabo vos, aut saltem mecum recognoscite Judices, dum, mulierculas de veneficio vani duntaxat rumoris aurâ diffamatas, in teterrimos carceres conjicitis, in iisque eas multos dies ac menses detinetis, Satanā, qui aliâs perniciem hominis dies ac noctes meditatur, variis ipsarum animos cogitationibus percellere, & spe liberationis ac impunitatis allectas mulieres istas eó adigere, ut, cúm vel innocentissimæ cæteroquin essent, & à flagitiosissimo maleficii crimine longé longéque remotæ, tum demum persuasæ à Diabolo in facinus illud præcipites ruant, eique se totas dedant. Id quod tanto faciliús Satanas perficere potest, quanto imbecilliores sunt mulieres à mentis mollitie sic dictæ, *ut textus est in c. quod proposuisti 32. q.* 7. ac debiliores, quám ut tot tantásque carceris molestias, incommoditates, ac difficultates superare queant, quas præstantissimus Theologus Victorinus Strigelius in Academia Lipsiensi professor quondam celeberrimus in suis ὑπομνήμασι in psalmos *psalmi. 107. pag. (mihi) 280. & 281.* hisce verbis

deſcribit: *Medici, inquiens, numerant ſex res conſervantes valetudinem, videlicet aërem lucidum non obſcurum, & quidem liberum ac ventilatum, non concluſum, nec fœtore aliquo corruptum, convenientem rationẽ cibi & potus, vices exercitii & quietis, ſtata tempora ſomni & vigiliarum, affectus animi tranquilliores, denique evacuationem κακοχυμίας. Hæc omnia captivis deeſſe manifeſtum eſt. Etenim captivi carent uſura lucis diurnæ, nec libero cœlo fruuntur, ſed vivunt in tenebris atque in maximis ſordibus propriis & alienis. Deinde paſcuntur pane atro & jure heſterno, nec quicquam cibi lautioris eis offertur, quó vires ſqualore carceris afflictas recreare poßint. Tertió noctes & dies compedibus vincti ſunt, nec poſſunt movere corpus pro arbitrio. Quartó cura non concedit feßis quietem, ſed vel miſeri contabeſcunt perpetuis vigiliis, vel ſpectris ſomniorum terrentur. Poſtremó, ut alia omittam, affectus captivorum non ſunt placidi, ſed turbulenti, quia non tantúm cruciantur ſenſu præſentium malorum, ſed multó magis metu impendentium periculorum torquentur. Itaque φροντὶς eſt eis χαλεπὴ νόσος ſecundum Hippocratem. Etſi autem gradus captivitatis ſunt diſsimiles, ut quód aliqui ſine compedibus cuſtodiuntur, tamen omnis captivitas ſine exceptione magnorum plena dolorum eſt, præſertim cùm ad cætera mala hoc ἐπίσαγμα accedit, de quo Pſalmus inquit: Nec fuit, qui adjuvaret.* Hactenus Strigelius. Idcirco haud immeritó in vincula conjecti miſerabiles perſo-

næ in

næ in jure dicuntur, *ut notat Bartol. in tract. de carcerib. num. 1. & num. 29. Hippol. in pract. crimin. §. nunc videndum num. 10. cum seq. per jura ibidem allegata Gail. lib. 1. observ. 78. num. 3.* An veró Judices, cúm mulierculæ istæ carcerum durissimorum compedibus vinctæ tótque difficultatibus fractæ ac superatæ Satanæ se totas tradunt, tanti mali culpam processu vestro tantopere severo in vos non derivatis? an nō in societatem flagitii illius, quo nullum excogitari ac ne fingi quidem potest atrocius, vos ipsi quasi ultró offertis, alieníque delicti participes redditis? Certé cúm malo isti omnis p̄cidi per vos via posset & occasio, quādo in delicto hujusmodi enormi processus mulierum capturæ á vobis ad præscriptum *Auth. Hodie C. de Custod. Reor.* cōformaretur, ut sané conformari debebat, eámq; occasionē neglecto saluberrimo Justiniani Imperatoris cōsilio vos nō amputetis, an non ad suscipiendum tam audendū facinus tacité mulieres captivas hortamini, frigidáq; sive per negligentiā, sive per imperitiam vestrā suffusa per cōsequentię necessitatē clanculū instigatis? Imperator *in d. Authent. Hodie C. de Custod. Reor.* si tale sit crimen, ut necesse sit mulierem custodiri, si quidem fidejussorem dare potest, fidem ei habendā esse docet: si verò jurave-

rit, fidejussorem se dare non posse; juratoriam cautionem de judicii observatione ipsam pręstare oportere. Sed si crimen gravissimum sit, de quo accusatur, in monasterium vel asceterium mittendam eam, vel mulieribus, per quas custodiatur, tradendam esse præcipit. Etsi veró in criminibus gravissimis fidejussoria cautio accusatos non juvat *d. Auth. Hodie §. sed si crimen VVesenb. in parat. ff. de custod. Reor. num. 5. Bart. & DD. in l. 1. ff. de custod. Reor. & de veneficii crimine nominatim id tradidit excellens Jureconsultus Joannes Georgius Godelmannus in elegātissimo tractatu suo de Magis, Veneficis, & Lamiis lib. 3. c. 6. num. 12.* non tamen veneficii ita leviter insimulata mulier in teterrimos ac squalidissimos carceres, per quos non modó pulcerrimus lucis hujus aspectus ipsi eripitur, sed etiam sibi soli relicta omni hominum consuetudine ac colloquio carere cogitur, detrudenda est, verúm in monasterium vel asceterium mittenda, vel mulierum custodiæ committenda *d. Auth. Hodie. Vide doctiss. respōsionem Georgii Godelmanni lib. 3. de Mag. Venef. & Lam. præfixam.* Ab hac Justiniani Imperatoris sapientissima Constitutione, Judices, si scientes receditis, magnum vestris conscientiis vulnus infligitis, ejúsque mali, in quod hac occasione mulieres istæ sese conjiciunt, participes reddimini, & ut

á cul-

á culpa, sic neque á pœna excusandi mihi omnino esse videmini. Per hanc enim negligentiam vestram tacité in ea cōsentitis mala, quæ in vinculis fœminæ istæ instinctu Diaboli perpetrant. Consentientes autem & facientes eadem pœna plectendi sunt. *Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 1. num. 43. per text. in c. 1, de offic. Jud. delegat. c. Quantæ de sentent. excommun. c. notum in fin. 2. quæst. 1. c. facientis distinct. 86. l. verum ff. ad l. Pomp. de parricid. l. Quisquis §. pen. ff. ad l. Jul. Majest. l. unic. C. de rapt. Virgin. l. Vulgaris §. si duo & l. In furti §. oper. ff. de furt. l. Eos C. eod. l. Item Mela §. si plures ff. ad l. Aquil. Hippol. in pract. crimin. §. Constante num. 42. cum seq.* Consensus autem in delictis quadruplex in jure reperitur. Primus est consensus cōsilii, cúm quis delictum consilio suo jurat, & tunc quo ad irrogandam pœnam ita distinguitur, quód aut consultor sine consilio consulentis delictum fuisset perpetraturus, aut quód, nisi suggestum ei cōsilium fuisset, delictum minimé admisisset. Priori casu mitiús punitur consulens, quám consultor, posteriori autem casu æquali uterque pœna plectitur. *Gail. lib. 1. de pac. public. d. c. 1. num. 47. per text. in c. sicut dignum §. Qui veró de homicid. l. Qui servo ff. de furt. Præclaré Bald. in l. 1. num. 7 cum seq. C. de serv. fugitiv.* Secundó consensus auxilii sive cooperationis consideratur, & tunc dubium non est, quin uterq;

pari pœna ſit afficiẽdus per ſupr.alleg. Jur. Tertió conſenſus autoritatis ſive defenſionis notandus eſt cúm quis nimirum inſtigatione autoritatéque ſua peccato cauſſam præſtat. Et tunc communi calculo atque ſuffragio eam ſententiam DD. amplectuntur, ut exiſtiment ac tradant, conſulentem ipſo faciente graviús peccare, quód non ſolúm is conſulendo peccet, ſed etiam alteri ſit ſcandalo & offenſioni, unde acriús ipſo peccatore puniendus & maledictus erit apud Deum & homines *Gail. de pac. pub. d. loc. per text. in c. Qui conſentit 11. q. 3. c. qui aliorum 24. q. 3. gloſſ. in l. 1. de offic. deleg. Dyn. in c. nullus ex conſil. de reg.* Jur. *in 6. Barto. in l. Non ſolúm §. ſi mãdato nu. 8. cum ſeq. ff. de jurej. & in l. Is qui opem num. 5. ff. de furt.* Quarto loco conſenſus negligentiæ ſilentio oblivionéve involvi neutiquam debet, cúm quis videlicet delictum impedire poteſt, & non facit, quo caſu minus peccat negligens, quám faciens *text. notab. in c. Qui poteſt 23. quæſt. 3. Gail. d. loc.*

Ut maximé veró, vos Judices, qui hac tam crudeli ac prorſus inhumana mulierum iſtarum in fœdiſſimos tenebríſque ac ſordibus refertiſſimos ac tantúm non omnino obſitos carceres detruſione, anſam illis ac occaſionem ex impatientia

tot

tot incommoditatum & metu majorum cruciatuum delinquendi, ac ſpe qualiscúnque liberationis pactum cum Satana aliquod ineundi tacité ſuppeditatis, neque per conſenſum conſilii, neque per cõſenſum cooperationis ſive auxilii, neque per conſenſum deniq; autoritatis ſive defenſionis peccetis, per conſenſum tamen negligentiæ peccatis, quando nimirum non impeditis peccata ea, quæ, ſi ex Juris præſcripto mulieres iſtas in monaſterium vel aſceterium mitteretis, vel aliis eas fœminis cuſtodiendas traderetis, averti facilé per vos nullóque negotio poterant.

Ut enim aliquis prorſus ſit innocens, tribus his innocentiæ notis inſignitum ipſum eſſe convenit. Primó quidem, ut ipſe malum non faciat. Secundó ut facientibus malum non conſentiat. Tertió ut malum avertat, & delinquentes corrigat. *Gail. d. lib. 1. de pac. publ. d. cap. 1. numer. 48. per text. in cap. Ita plane 23. q. 4. c. tria ſunt cum c. ſeq. diſt. 45.* Quód ſi autem per imperitiam, Vos Judices, peccatis, neq; tunc vos á culpa immunes eſtis, quia imperitia culpæ quoq; annumeratur *§. Præterea Inſtr. ad l. Aquil. & l. Imperitia 132. ff. de Reg. Jur.* Neq; relevare vos poteſt Judices, ſi objiciatis, crimen hoc graviſſimũ eſſe, in quo diuturna mora piculoſa ſit, ideóq;, ne

delicta maneant impunita, si forté maleficus fugã arripiat, vos non posse aliter quám ut ad carcerem statim procedatis, quód aliâs etiam tam propter delicti atrocitatem *text. sing. in c. felicis §. cæterúm de pœn. in 6. & in l. 1. C. de mod. mulctar. text. in cap. 1. de schismat. in 6. Innocen. in c. 1. num. 2. de constit. Hippol. in l. 1. num. 70. ff. de quæst. Gail. de pac. publ. lib. 2. d. cap. 3. num. 21.* quám in his, in quibus periculum est in mora, propter moram á regulis Juris communis recedatur. *Alex. in l. de pupillo. §. si quis rivos ff. de nov. oper. nunc. num. 1. per illum text. & in l. Si quis filio exheredato §. Hi autem, ibi, nisi forté latro manifestus ff. de injust. rupt. testam. & in l. Divus ff. de petit. hered.* & dispositio juris prohibitiva remittatur *d. l. de pupillo §. si quis rivos & ibi Roman. num. 1. & 3.* atque in hujusmodi casibus mandata sine clausula, quæ regulariter ipso jure nulla sunt, quód ab executione non sit inchoandum *l. si cum nulla ff. de re judic. & l. 1. C de execut. rei judic. l. Nam ita Divus ff. de adopt. & l. de unoquoque ff. de re judic. cum simil. Gail. lib. 1. observ. 13. num. 1. & de pac. publ. lib. 1. cap. 5. num. 1.* decerni posse tradat. *Gail. lib. 1. obs. 13. num. 3. §. Præterea.* Nam Justinianus Imperator in crimine gravissimo mulieres in carcerem non detrudendas, sed in monasterio asservandas esse generaliter edixit *in d. Auth. Hodie §. si crimen C. de Custod. Reor.* Verba autem generalia generatim sunt interpretan-

pretanda *per text.in l.1. §. Generaliter ff. de legat. præst.contr.tabul.* Neque delicta manebunt impunita, si præcedentibus indiciis & facta inquisitione maleficos viros Judex in carcerem conjecerit. Aliter enim hoc fieri nō posse supra satis evidenter demonstratum est. Neque obstat, quod allatum fuit, in his, in quibus periculum est in mora, à regulis juris communis recedi. Nam id procedit in his, quæ favore aliquo digna censentur *d. l. de pupillo §. si quis rivos ff. de nov.oper.nunc. d.l. si quis filio §. Hi autem ff. de injust. rupt. testam. d. l. Divus ff. de petit. hered:* non autem in his, quæ sunt odiosa, & obscura, atq; id in criminalibus præsertim, quando de autore delicti nondum constat *per supr.alleg. jur.* Secus autem sese res haberet, si notoriū foret hunc vel illum delictum admisisse. Notorium enim non solùm non est probandum. *Marsil. in pract. crimin. §. 2. num. 216. Bal. in l. si verò §. qui pro rei qualitate & ibi Jas. ff. qui satisd. Socin. Jun. consi. 65 num. 3. lib. 1. Menoch. de recuper. poss. 15. remed. num. 264. Josephus Mascard. de probat. volum. 2. Conclus. 1107. num. 1. ubi complures Doctores allegat,* sed nec alius ordo juris in his servandus est *Menoch. de recuper. possess. remed. 15. num. 260. Spec. de notor. crimin. §. Jam de notorio num. 1. Hippol. in pract. crimin. §. 2. num. 38. Natt. consi. 540. num. 7. volum. 3. Mascar. d. conclus. 1107. num. 6.* Immò in notoriis non servare ordi-

nem est servare ordinem *Gail. lib. 2. de pac. publ. cap. 3. num. 22. per text. notab. in c. quæ Lotharius 2. q. 1.* Et quod ad mandata sine clausula attinet, ea Exceptionē sub et obreptionis ante paritionem admittunt *Gail. lib. 1. observ. 14. num. 1. & seq.*

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS SECUNDAE.

*An fama, & quomodo, ad inquisitionem & ad carcerem sufficiens indicium pariat.*

CUm demonstratum hactenus sit, Judicem, sine præcedentibus justis indiciis, in criminalibus á captura incipere non posse, videamus nunc, an fama ad inquisitionem & ad carcerem sufficiat. Quamvis autem fama, quando agitur criminaliter semiplenam probationem non faciat, sicut una mēte unoque ore communiter tradiderunt DD. *Bald. in l. Quod non probâsse C. de calumn. Paris. consi. 153. num. 11. volum. 4. Cæpoll. consil. crimin. 34. colum. 5. versi. nec sufficit dictum gloss. Bald. Butr. Imol. & alii in c. Veniens de testib. & ibi Dec. hanc communem esse opinionem affirmat Joseph. Mascard. de probat. volum. 2. conclus. 754. numer. 1.* id tamen non procedit, quo ad inquirendum in aliquem, aut in carcerem ipsum detrudendum. Tunc enim fama suffi-

ſufficit *Bald. in conſil. 360. quia quæſtio columm. 1. in fin. lib. 3. & idem in conſil. 438. ad evidentiam colum. 3. circa finem lib. 5. Cyn. in l. Nullus. C. de exhib. reis Maſcard. de probat. d. volum. 2. d. concluſ. 754. numer. 19.* Et fama, licet non ſufficiat ad judicii deciſoria, ſufficit tamen quo ad præparatoria, *ut inquit Bald. in conſi. 78. numer. 2. & conſi. 10. num. 5. volum. 3. Cravett. in conſil. 41. numer. 6. Maſcard. d. concluſ. numer. 20.* Quod tamen hactenus verum eſt, ſi fama á perſonis honeſtis originem ſuam nacta ſit, aliâs enim nec ad inquirendum ſufficeret *Maſcard. d. concluſ. numer. 21. ibique allegati DD.* et, ſi fama non habeat originem á perſonis malevolis. Si enim de hoc conſtaret, nõ pareret hujusmodi effectum inquirendi *Maſcard. d. conclus. numer. 22.*

Non obſtat, quód Carolus V. Imperator *in d. cap. 6. & d. cap. 218.* vocabula Leumut / vnnd böſen Leumut generaliter & puré, nullis omnino hujuſmodi appoſitis requiſitis, uſurpat. Intelligitur enim fama, quæ legitimis juris requiſitis eſt prædita, quód verbum generale prolatum á lege ſit intelligendum ſecundúm diſpoſitionem juris alibi poſitam *Jaſon in §. in perſonam num. 29. Inſt. de action.* quã diſpoſitionẽ perſpicuis verbis poſuit Carolus V. *c. 25. in* §. Erſtlich *verſ.* Doch ſol ſolcher böſer Leumut.

Unde

Unde constat, si ex diffamatione, quæ istis requisitis constat, proceres oppidi supra dicti veneficos in carcerem compingant, recté illos rationéque atq; adeo secundum juris ordinem procedere. Quod veró ad consulentem nostram attinet, ea de veneficio per publicam famam nunquam diffamata, sed ab omnibus honestissima fœmina dignis virtutibus semper fuit commendata, eáq; re magnam apud cives suos laudem est consecuta; nec ullâ unquã vel minimâ notata fuit ignominiâ, præterquám quód Venefici quidam confessione sua hãc Magiæ labem ipsi nuper inusserunt.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS TERTIÆ.

*Confeßio facinorosi, quâ alium socium criminis nominat, quid de iure operetur.*

Proximum igitur nunc est, ut dispiciamus, eccujus confessio sit illa ponderis ac momenti. Confessionem socii nec pro socio nec contra socium probare *text. est in l. sicuti 4. C. de quæst.* Ita enim Imperator Antonius inquit: *Sicuti convictis confeßisque ad societatem scelerum vocantibus eos à quibus apprehensi custoditive sunt, facile credi non oportet: ita si evidentibus rationibus post commissum communiter facinus,*

*facinus, ad evitandam de se sententiam id fecisse fuerint probati, publicæ vindictæ non sunt subtrahendi l. Quoniam 10. C. de testib. verb. liberi testes ad caussas postulantur alienas, si socii & participes criminis non dicantur l. fin. C. de accusat. l. si filium in fin. C. de liberal. causs. Specul. in tit. de testib. §. 1. vers. Itē quod socius criminis num. 37. c. veniens de testibus c. personas. eod. tit. Bald. Salycet. & cæteri DD. in d. l. Quoniam* C. *de testibus*; Ibique Baldus concludit, socium criminis nō admitti, sive ad impugnandum, sive ad defendendum socium, ideóque si quatuor simus in rixa, unúsque deponat, me esse culpabilem, ei nō credi. *Dec. cōsi. 342. in causa partus suppositi num. 2. Fulgos. consi. 135. in caussa criminationis factæ col. ult. & consi. 173. in causa inquisitionis formatæ col. 1. vers. sed diversum Paris. consi. 53. num. 15. vol. 4. & consi. 151. num. 8. vol. 4. Jodoc. Damhud. in practic. caussar. civil. tit. de reprobat. test. num. 14.* Ratio, quamobrem socius criminis á testificando repellatur, in promptu est, quia cōfitendo delictum se infamem esse declaravit *Anchar. consi. 189.* conclusionem hanc cōmunem esse testatur *Roland. á Vall. consi. 73. num. 2. vol. 1. & Angel. in tractat. malefic. in §. fama publica vers. quæro an particeps & versi. Quæro an bannitus dicit stante statuto, quód qui indicaverit malefactorem, habeat tantum, non comprehendi socium criminis. Laté & elegant. Jas. consi. 23. per tot. vol. 1. Joseph. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1311.*

ubi

ubi quám plurimos Doctores communem hanc conclusionem stabilientes adducit.

Tametsi autem modó posita conclusio ita extendatur, ut socius criminis nec ad toturam, immó nec ad inquisitionem formandam indicium faciat *Salycet. in d. l. fin. C. de accus. Fulgos. consi. 135. in causs. crimin. colum. ult. versi. Novissimé veró. Dec. consi. 189. num. 8. & consil. 342. num. 2. consi. 234. numer. 1. Marsil. in practic. crimin. §. diligenter numer. 67. Bertaz. consil. crimin. 116. numer. 21. volum. 1. & consil. 225. numer. 18. consil. 28. numer. 3 consil. 39. numer. 13.* ubi communem dicit *Mascard. d. conclus. numer. 9.* non obstantibus iis, qui contrariam tutati sunt sententiam, quód nimirum dictum socii ad inquisitionem formandam sufficiat, *ut* Johan. *Andræ. Hostiens. Butr. Abb. & Anchar. in c. 1. de confess. Blanc. in tractat. de indic. numer. 387.* ubi de communi opinione attestatur *Alexand. consil. 127. numer. 16. volum. 4.* Hi namque loquuntur & intelligendi sunt in eo casu, quando alia indicia cum socii confessione concurrunt; Conclusionis tamen modó commemorata extensio sive ampliatio in læsæ majestatis crimine non procedit, in hoc enim socius criminis ad dicendum testimonium admittitur *l. Quisquis C. ad l.* Julian. *Majestat.*

*c. ne-*

*cap. nemini 16. quæst. gloss. in l. fina. C. de accus. ibiq; Bald. Salycet. & omn. Specul. in tit. de probat §. 1. versic. 10. Mars. consil. 1. numer. 32. Menoch. consil. 101. numer. 53. consil. 100. numer. 62. Gig. in tract. de crimin. læs. Majestat. titul. Quomodo & per quos crimen læs. Majestat probet. quæst. 7. Mascard. d. conclus. 1311. volum. 3. numer. 21.* Sicut neque procedit in crimine maleficii, in quo socius de sociis interrogari potest *l. fin. C. de malefi. Bald. consil. 95. Regula juris est versic. Item fallit. lib. 1. Gramm. decis. 28. numer. 10. consil. 38. Mascard. d. conclus. 1311. numer. 21.* Et conclusio antea posita non proeedit in crimine occulto, & quod difficulter probari possit. Nam & tunc socius contra socium ad testificandum admittitur *Feder. Scot. consil. 10. numer. 28. lib. 2. tom. 2. Cravett. consil. 178. numer. 3. Roland. á Vall. consi. 68. numer. 4. volum. 2. Bald. in Authent. si dicatur C. de testibus. Mascard. d. conclus. 1311. numer. 33.* Necesse tamen est, ut talis sit actus, qui & actu & habitu sit difficilis probationis *Jason in l. cunctos populos C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol.* aliique complures DD. quos *idem Mascard. adducit d. conclus. numer. 34.*

Quia veró maleficii crimen hoc nostrum est, de quo agimus, idque ad Majestatis

jeſtatis læſæ crimen refertur *VVeſenb. in parat. ff. ad l. Jul. Majeſt. num. fin.* ubi magias & incantationes noxias, prædictionésq; & conſultationes divinantium læſæ Majeſtatis crimini ſubjici ſcribit, & Magia occulté peragitur, ac in læſæ Majeſtatis crimine etjam ſocii adverſus ſocium ad inquiſitionẽ formandam teſtimonium ſufficit, de maleficióque inſuper hoc nominatim conſtitutum eſt per allegata jura, in conſulentem noſtram Magiſtratus ſupra dicti oppidi de maleficio haud injuria inquirere videtur, idq; tantó magis, quód ſocii delicti adverſus ipſam confeſſi ſunt in torturis. Quamvis enim aliâs ſocii criminis teſtimonium adverſus ſocium inquiſitionem nullam operetur, etiam in hoc crimine idq; genus aliis, ſi extra torturam confiteatur, quòd talis ſocius, qui alium ſocietate ſceleris ſibi addictũ eſſe fatetur, jam ſit infamis, infamis autẽ contra aliquẽ ſine tortura non audiatur *c. illi qui 5. quæſt. 5. c. inprimis in fin. 2. q. 1. glo: in c. cùm P. de accuſat. & in c. per tuas de Simõ. Alex. conſi. 11. circa primum colum. 2. volum. 1. Gandin. in tract. de maleſic. ſub tit. de quæſt. & tortu. §. nunc autem reſtat. verſi. ſed quæro nunquid iſti nominati Bertazoll. conſi. crimin. 234. num. 4. vol. 1.* depoſitio tamen ſocii criminis in maleficio & ſimilibus delictis enormibus in tortura facta hoc efficit, ut quo ad inquiſitionem forman-

formandam ei credatur *Alberic. in l. fin. C. de accusat. Fulgos. consi. 173. in caussa inquisitionis formatæ col. 1. prope fin. vers. Quidam Doctor, quem secutus est referendo Marsil. in practic. crimin. §. diligenter num. 61.* Quid? quód non unus sed tres socii idem confessi sunt in torturis, atque adeo ex gravium quæstionum adminiculo ad testificandum apti ac idonei redditi per jura pauló anté proposita, in ore autem duorum vel trium consistere veritatẽ omnem plusquám tritũ est ac tralatitium. Et hanc confessionem morte sua confirmârunt omnes, ideóq; falsum dixisse non putantur, quód morti vicini plerunque de salute æterna cogitent, ac propterea mentiri non præsumantur *Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 144.* Hinc exercitatissimus quondam Germaniæ nostræ Practicus *Andreas Gail. lib. 2. observ. practic. observ. 43. num. 2.* juramentum in litem á defuncto oblatum, pro præstito haberi scribit, eó quód mors non minorem fidem quám corporale juramẽtum mereatur, ut communem sese habere opinionem ibidem attestatur adducẽs *Bartol. in l. admonendi numer. 2. ff. de jurejur. Jas. ibid. num. 105. Bald. in l. comparationes num. 14. C. de fid. Instrum. Socin. seni. consi. 161. num. 6. volum. 2. Incip. pro decision. Castrens. consi. 301. num. 4. volum. 1. Incip. Ad bené examinandum Zas. consi. 5. num. 58. volum. 1. Cravett. de antiq. tempor. part. 1. sect. 4.*

C num.

*numer. 48. & consil. 158. numer. 7. part. 1. Alciat. reg. 3. præsumpt. 4. numer. 5. cum seq. Plot. ad l. si quando C. unde vi §. 34. numer. 2. cum seq.*

Quæ quidem fundamenta talia esse sibi faciè aliquis persuaserit, ut Magistratus ab officii sui ratione nihil alienum facturus videri possit, si in consulentem nostram diligenter inquirat. Verùm illis non obstantibus tenere ante omnia oportet, quód in maleficii ejúsque farinæ sceleribus sociorum criminis in tortura factam confessionem, quâ socios alios nominârunt, ad inquisitionem sufficere textibus & Doctorum autoritatibus in medium allatis probatum est, id hactenus verum esse, quando socii, qui alios ut socios nominârunt, sunt aliâs bonæ conditionis & famæ, secus autem sese rem habere, si sint infames malæque conditionis homines, quia tunc non faciunt indicium ad inquisitionem. Atque ita docuerunt *Anton. de Butr. & Imol. in cap. si qui de testibus. Ruin. consil. 147. numer. 3. & 4.* ubi hanc affert rationem, quód adhuc, ut faciant indicium, debeant esse integri ac bonæ opinionis *Marsil. consil. 74. numero 23. Gramm. consil. 35. numero 27. consil. 38. numero 5. consil. 44. numer. 2. consi. 70. numero*

7. Gig.

*7. Gig. in tract. de crimin. læs. Majestat. titul. Quomodo & per quos crim. læs. Majestat. prob. quæst. 7. numero 7.* Quod idem est, si sint aliâs hujusmodi, qui á testimonio repellantur, ut sunt pauperes, minores, & alii. De istorum enim fide maximé dubitatur. *Bertazoll. consi. crimin. 61. numero 18. consil. 40. numero 12. Cephal. consil. 462 numero 9. Bertaz. consil. crimin. 116. num. 22. volu. 1. consil. 28. num. 3. consil. 39. num. 15. consi. 234. num. 1. Rol. á Vall. consi. 16. num. 17. vol. Natt. cons. 298. nu. 6. volu. 1.* & est communis opinio, ut testatur *Abb. in cap. 1. de confess. Mascard. d. conclus. 1311. numero 41.* ubi innumerabiles in hanc sententiam adducit Doctores. Si veró malefici, qui consulentem nostram nominârunt sociam, & malæ aliâs existimationis & tenuissimæ fortunæ homines fuerunt. Et qualis unus ex iis fuerit, eventus comprobavit. In carcere namque laqueo mortem sibi conscivit, id quod argumento est, sceleris ipsum conscientiâ veluti furiis quibusdam impulsum violentas sibi manus attulisse, atque ita pro confesso habendum esse, quód pro confesso jura illum habeant, qui post institutam accusationem ante sententiam lucis hujus usuram sibi adimit. *VVesenb. in parat. ff. de bon. eor. qui ante sentent. numero 1. & l. fin.*

 *ff. eod.*

*ff. eod. tit.* Præterea indicia ex depositione socii criminis orta, probando bonam famam nominati, facilé dilui tradiderũt *Mars. consi. 12. num. 38. cons. 15. num. 5. & 6. cons. 28. num. 26. Gram. consi. 21. num. 10. consi. 38. num. 18. consi. 44. num. 4. Sobin. Jun. consi. 39. num. 66. volum. 2. Mascard. d. coclus. 1311. num. 17.* Fœmina autem nostra & pietatis semper & honestatis prę clarani laudem ac famam habuit, quæ per testes, si opus sit, satis luculenter probari potest. Honestas namque famæ cúm per sese semper præsumatur *arg. l. Meritó ff. pro socio & notat Natt. in consi. 362. num. 11. vol. 2.* túm veró etiam jura tantopere ei favent, ut etjam per testes singulares probari eam posse responsum sit ab *Alex. in consi. 51. versi. nec est curandum num. 5.* Refert & sequitur *Bartol. in l. de minore §. plurimúm in versi. sed quid si testes de quæst.* & bonam famam alicujus testibus deponentibus magis credi, etiamsi pauciores sint numero, quam illis, qui de mala fama attestantur, consultus respondit *Bald. in consil. 166. Incipient. Proponitur, quod ex quodam instrumento in fin. volum 2. Corn. in consi. 261. col. 9. volum. 4. Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 235. num. 1.*

Et hac responsione ad primum argumẽtum diligenter considerata, non refragabitur objectio secunda de tribus maleficii sociis proposita, túm quód de consulente fœmi-

fœmina præclara ſit apud omnes integritatis & ſanctimoniæ opinio, túm quód ſocii iſti omnes cæteroquin ad teſtificandum ſint inepti, & proinde nullam ipſorum teſtimonium fidem mereatur. Numerus enim non tollit inhabilitatem, nec ſupplementum inducit, nec duo imperfecta in ſua ſpecie poſſunt unum perfectum facere *l.1.C. Qui num. tut. Alex. in l. ſi quis argentarius in princ. ff. de edend. Natt. conſi. 298. num. 10. vol. 1. Ancha. conſi. 248. in cauſſa agitata Felyn. in c. teſtimonium in 2. notab. de teſtib. Roland. á Vall. conſi. 16. vol. 1.* ubi reprobat Boerium, qui contrariũ tenuit *deciſ. 316.* & affirmat, non obſtantibus dictis duorum ſociorum criminis, eũ, pro quo conſuluerit, liberatum fuiſſe, & ſocios ad triremes condemnatos. Ita quoque declarat. *Blanc. in repet. l. fin. num. 385. ff. de quæſtion.* ubi dicit, quód ex dictis plurium ſociorum criminis tantum reſultet, quantum ex uno & non plus, quia una tantúm eſt qualitas indicii *Gram. conſ. 35 num. 25.* Et hinc eſt, quód, etiamſi tres confiteantur, ſe vulneráſſe aliquẽ, & alium itémque ſocium nominent, contra illum non majorem fidem faciant, quám ſi unus eſſet ſolus *Joſeph. Maſcard. d. concluſ. 1311. num. 18. Bald. in l. Quoniam in 2. notab. C. de Teſtam. Marſil. conſi. 78. numer. 2. Alex. conſi. 88. col. pen. vol. 5. Ruin. conſi. 22 conſi. 105. in princ. vol. 4. Dec. conſi. 189. num. 7. conſi. 234.*

*numero 1. & 2. Petr. Francis. Mancassola Advocatus Placentinus in consil. ad defensam Illustris Domini Francisci Vice-comitis versicul. & præmissa conclusio Bertran. consil. 268. numero 2. volum. 3.* Neque obstat tertió, quód tres illi malefici morte insecuta confessionem hanc suam in torturis factam confirmarunt. Hujusmodi namque per mortis supplicium confessionis corroboratio cōsulenti nostræ fraudi esse non debet, quód mortis timore oppressus similis sit mortuo, ut dicit *text. in 2. Jubemus post princip. C. de Testament.* idémque voluit *Castrens. consil. 366. viso puncto*, & dixit *Bald. in l. Extraneum in princip. C. de hæred. institut.* constitutum in mortis articulo non posse adire hæreditatem, & elegans textus est *in l. 3. §. 1. ff. de senatusc. Sillan. §. 1.* ubi, *si quis moriens dixisset*, inquit Ulpianus Jureconsultus, *á servo vim mortis allatam esse sibi, dicendum est, non esse credendum domino, si moriens hoc dixerit, nisi potuerit & probari.* Neque obstat, quód morientes non mentiri præsumantur. Hæc enim præsumtio per veritatem contrarii eliditur, quód compertum sit, morientes sæpe mentiri *Sichard. in Authent. sed novo jure C. de serv. fugitiv.* Nam non omnis, qui moritur, est sanctus Joannes Evangelista, ut dicit

cit *Bald. in titul. de pac. constant. versicul. Vasalli* & sequitur *Bertran. consil. 162. lib. 2.* Neque ad rem facit, quód cogitatio de æterna salute consequenda hujusmodi maleficos sit á mendacio abstractura. Multi enim absque ulla pœnitentiæ significatione animam exhalant, & tunc confessionem ipsorum, quâ ut socios alios nominârunt, ad inquisitionem non facere indicium haud obscuré testatum facit *Joseph. Mascard. d. conclus. 144. numero 2.* Et nullis aliis indiciis contrarium demonstrantibus, Veneficorum confessionem, qui nulla scelerum pœnitudine ducti mortem obeunt, ad inquisitionem nihil habere momenti diserté scribit *Godelmann. in pulcerr. suo Tractat. de Magis, Veneficis & Lamin. libro 3. capit. 9. numero 31.* Jam veró compertum exploratúmque habemus, maleficos eos, qui confessione sua consulenti nostræ fœminæ nefariam machinari pestem necémque studuerunt, partim eo ipso, quód unus de iis post factam accusationem ante sententiam vitam sibi in vinculis exhausit, partim aliis evidentissimis argumentis declarasse, quanta in desperatione ac impietate mortem sustinuerunt. Neque veró consulenti nostræ matronæ á Caroli V.

Imperatoris criminali constitutione *in cap. 29.30.& 31.* quicquam est pertimescendum, cúm nominationem socii criminis inter communia ad torturam indicia numerat, idque tam in non exceptis, quám exceptis criminibus sub rubrica: *Communia indicia, quorum singula per sese ad quæstionem gravem sufficiunt* Gemeine Anzeigung / deren jegliche allein zu Peinlicher Frage gnugsam ist. Nam Carolus V. non simpliciter id affirmat, verúm si sequentes concurrant circumstantiæ. Primó quidem, ut nominatori nominata persona speciatim nō fuerit subjecta, neque nominatim de ea maleficus in cruciatu eculei interrogatus, sed ut in genere rogatus, quis ad delictum ei suum opem tulerit, personam istam nominaverit. Ratio in promptu est, quód specialis ista interrogatio potiús suggestio quædam sit, quám interrogatio. Id quod etiam ante Carolum V. Imperatorem jure civili constitutum est *l. 1. §. Qui quæstionem ff. de quæst. gloss. in l. Prius & in l. si certus ff. ad Sillan. Blan. in tract. de indic. num. 382. Ruin. consi. 7. num. 14. vol. 5. Salycet. in l. fin. col. pen. vers. quæro nunc de modo C. de accus. Mascard. d. Conclus.* 1311. *num. 39.* Secundó ut maleficus, qui alterum socium nominavit, diligenter interrogetur, quomodo & quando nominatus socius ipsi auxilium præstiterit, & qui cum eo fuerint, eáque

eáque in re omnes ex eo necessariæ ac ad veritatem indagandam utiles circumstantiæ summo cum studio ac diligẽtia sunt exquirendæ, quæ cúm speciatim tradi non possint, prudentis Judicis arbitrio relinquuntur. Tertió diligenter erit percontandum, utrum maleficus nominans eum malefico socio nominato inimicitias & simultates graves exercuerit. His enim inimicitiis deprehensis manifestéq; compertis nominanti de hac sua confessione non est credendum, nisi tales caussas & tam dilucida argumenta indicet, quæ etiam in inquisitione sufficiens facere indicium deprehendantur. Et idem aliâs quoque sancitum est *in Auth. si dicatur C. de testibus Auth. si testis C. eod. c. testium c. Quoties ext. eod. tit.* Quartó ut nominatus tam gravi suspicione laboret, ut aliquis de ipso sibi tale quid polliceri habeat. Quintó denique requiritur, ut maleficus nominans in hac sua confessione constanter perseveret. Quod etiam aliâs in delictis exceptis, cujusmodi est hoc veneficii crimen, quo de tractamus de jure vetustiori cautum est, si cum nominatione socii criminis, cæteris paribus, hujusmodi indicia concurrant. Tunc enim socius criminis non solúm facit indicium ad inquisitionem formandam, sed etiam ad torturã *Gandin. in tracta. malefic. in rubr. de quæst. & torm.*

*versi. pravas cogitationes Guil. de Suzar. in tractat. malefi. titul. Qual. reus subjiciatur torment. colu. 1. in fina. Angel. in l. si certus ff. ad Sillan. Salycet. in l. fin. C. de accusat. Roman. in d. l. si certus ff. ad Syllan.* communem hanc opinionem esse dicit; & receptissimam hanc esse sententiam testatur *Roland. a Valle consi. 73. num. 1. 20. volu. 1.* Sequitur *Nicola. Sopran, Placent. in consil. ad defensam Illustris D. Vice-comitis versicul. Quartum indicium*; quos omnes cum plurimis aliis refert ac sequitur *Mascard. d. conclus. 1311. numero 52.* Ad consulentem veró fœminam nostram quod attinet, prætérquám quód maleficos, qui ut socium maleficii ipsam nominarunt, homines alioqui fuisse extremé infames & ad testificandum ineptos notum est, constat insuper, consulentem in nulla unquam vel minima suspicione maleficii fuisse. Quocirca Carolina constitutio criminalis minimé ei obesse poterit. Porró non obstabit, si objicias, cúm testes non probent, nisi scientiæ suæ bonam caussam interrogati assignaverint per unum ex quinque sensibus *Bartol. in l. 1. in 3. colum.* & ibi *Alexand. & DD. ff. si cert. petat. l. Solam* & ibi *Bald. C. de testib. Mirant. part. 6. de ordin. Jud. act. 6. numero 10.* quod in criminalibus procedit, ut maximé non interrogati dicti sui rationem signifi-

gnificaverint Salycet. *in l. sciant cuncti C. de probat. Jas. in l. Admonendi ff. de jurej. Marsil. in pract. crimin. §. diligenter, numero 31. Dec. consil. 37. num. 7. consil. 100. numero 2. consi. 429. numero 11. Joseph. Mascard. de probat. volum. 3. Conclus. 1369, numero 47.* maleficos istos caussam sive rationem sui dicti, quód nimirum consulens ista nostra fœmina sit malefica, in tortura deposuisse hanc rationem, quód ipsam viderint in comessationibus illis & choréis, quas quotannis Diabolus cum suis ministris maleficis & Sagis exercere atque celebrare consueverit, testes autem deponentes de visu aliis longé prævalent *DD. in §. si veró tale in Authent. de instru. caut. & fid. Alexand. in consil. 81. in caussa & lite numer. 3. versic. & pro ista opinione, volum. 2. eleg. text. in §. fin. Inst. de grad. cognat. verb. cúm magis veritas oculata fide, quám per aures animis hominum infigatur.* Nam quód Sagæ confitentur, se unguentis priús quibusdam certis veluti felis alicujus aut lupi adipe, & quibus nescio aliis probé probéque perunctas scopis deinde, furcis, palliis, baculis atque hujusmodi aliis insidentes per caminum evolare, & inde quám-celetrimé ad locum isti Diabolorum ejúsque asseclarum congregationi destinatum deportari, id revera ita non evenit, sed alto Sagæ somno sopitæ de nocte somniāt, se unà cum Diabolis & suæ farinę hom-

hominibus epulari, bacchari, commessari choreas exercere, & alia agere, quæ ad omnis generis voluptates conciliandas maximé facere videntur. Expergefactis iterum ac é somno excitatis quid aliud iis fieri dicemus, quám quód species hæ ipsarum imaginationi ita firmiter impressæ & infixæ inhærent, nulla ut unquam dies eas ex animis illarum oblitterare possit. Magnam enim imaginationis depravatæ vim esse etiam ii nôrunt, qui vix primoribus, quod dicitur, labris Philosophiæ naturalis elementa degustârunt. Et Hippocrates Medicorum princeps, qui doctissimus á Jureconsulto dicitur *in l. septimo mēse ff. de stat. homin.* præclarissimé litteris memoriæque proditum reliquit *in lib. de Insomn.* varias esse & diversimodas stupendásque mentis seu animæ humanæ nunquam nec in somno quiescentis conceptiones, cogitationes, imaginationes tam validé ei fortitérq; impressas, ut homo post cessantem somnum sibi persuasissimū habeat, & firmiter credat, veré & realiter ea omnia cōtigisse, quæ somniavit. Citat *Scribonius in Physiologia Sagarum pag. 59.* Cúm etiá mulieres in libidines ac voluptates sint impensé proclives, quid mirum est, eas in somno, Satana magis magisque ad ipsarum perniciem suiq; regni dilatationem, phan-

thasian

taſian illarum ſive imaginativam ſentientis animæ facultatem depravante, amatorum voluptatúmque, quæ ab iis expectari conſueverunt, ſpecies præſentes cernere? Quid mirum, cúm jucundiſſima nobis eorum ſemper obverſetur memoria, quæ nobis gratiſſima acceptiſſimáq; vel ſemel in univerſo vitæ curriculo acciderunt, mulieres iſtas perpetuam dulciſſimæ cum Satana amaſio ſuo ſuiſq; ſociis conſuetudinis memoriam conſervare, ac illius identidem etjam túm, cúm aqua ipſis hæret, & ad reſtim res rediit, ut vulgaribus adagiis circumfertur, non ſine ſingulari oblectatione recordari, præſertim cúm ſtato tempore recurrente, adhibitis conſuetis unguentis, eáſdem iterum voluptates in depravata phantaſia ſua perſentiſcant? Conſtat ex naturali Philoſophia, imaginationi per inſomnia varias etiam rerum longiſſimo á nobis intervallo remotarum formas repræſentari eáſq; ſpecies ita fortiter quandóque hominibus impreſſas manere, revera ut ita eveniſſe, quemadmodum in inſomniis facta eſt repræſentatio, vigilantes vel prorſus ſibi perſuaſum habeant, vel certé dubitent. Quilibet in ſe ipſe deſcendat, ſuíque corporis κρᾶσιν atque conſtitutionem pauló accuratiús contempletur, & rem profectó ita eſſe fateatur neceſſe

ceſſe eſt, Vide *eleganter Petrum Martyrem in libro 1. Samuel. cap. 28. pag. 167.* Quid igitur dubitemus, quin Satanas univerſæ naturæ peritiſſimus talibus unguentis mulieres iſtas obſequentiſſimas miniſtras ſuas ſeſe oblinere doceat, quæ corporis conſtitutionem ita afficiant, ut profundo ſomno ſopitæ & tanquam ſepultæ Diabolos & ſocias ſuas præſentes cernant? Quanta imaginationis vis ſit, cúm ex adducto Hippocratis loco planum antea factum eſt, túm præſtantiſſimus diſſertiſſimúsque Philoſophus ac Medicus Levinus Lemnius *de complexionibus lib. 1. pag. (mihi 41.)* hiſce verbis atteſtatur: *Mulieris latentium tacitarúmque imaginationum*, inquit, *tanta vis eſt támque efficax, ut quæ, ſub ipſo conceptus momento animo mentique obverſantur, in fœtum elaborentur. Quum enim is ſexus laſcivus ſit ac ludibundus, atque oculus in obvia quæque continenter defigat, fit, ut naturalis facultas, quæ operi formando perficiendóque inſiſtit, eó cogitationes mentiſque conceptus dirigat, atque aſcititiam formam infanti inducat á parentum natura ac conditione prorſus alienam. Sic obſervatum eſt noſtra & avorum memoria, cúm Imperator Carolus ejus nominis Quintus ex Hiſpaniis in Belgicam inſtructiſſima claſſe eſſet delatus, ac numeroſa clientela, amplóq; Procerum ac Stipatorum apparatu has oras impleviſſet, mulieres, quæ paſſim geſtabant uterum,*

*terum, ex crebro Hispanorum contuitu, exactis novē mensibus, decursóque anni dodrante infantes edidisse superciliis capillisq; nigris ac crispis, túm colore illi tiationi undiq; aßimili, non quidem triobolares ac meritorias, quas genti fervidæ ac salaci se subjecisse credi par est, sed spectatæ probitatis atq; incorruptæ pudicitiæ matronas hujusmodi affectus in se suósque concepisse. Simili ratione cúm Belgis imperaret Maximilianus Cæsar ex Pannoniis, hoc est, Austriaca gente oriundus, fœminæ ob Germanorum consuetudinem ac conspectum, flavis rutilisq; crinibus infantes ediderūt ac Germanis prorsus affines.* Hactenus Lemnius. *Vid. Paracels. in tract. de Imaginat.* Quód si igitur imaginatio tantā vim habet, ut imaginans etiā in aliū virtutē illius explicare pōssit, atq; adeo imaginationis matrū infantes in utero materno impressionē patiātur, participésq; virtutis inde resultantis fiāt, annon imaginatio illa in ipso imaginā te, quo cū nihil tale conjunctū est, in quod pars aliqua derivari possit, multo robustior erit ac validior, qa túm ex Physica generali, túm etiā ex parte illius aliqua, q̄ Optica dicitur, notū est immotæ veritatis axioma illud & principiū, VIRTUTEM UNITAM DISPERSA ESSE FORTIOREM? Itaque inveterata illa in vulgi animis opinio, quód Sagæ, perunctæ quibusdam unguentis, scopis per caminum subvolēt ad loca procul dissita, ibíq; cum sociis suis & Diabolis genialiter vivant, tota est imaginationi

ſagarum accepta ferenda, ſicut & ab eadem phãtaſiæ depravatione proficiſcitur Sagarum confeſſio, quód hanc vel illam mulierem in iſtis conventiculis ac choreis viderint. Atq; hæc omnia imaginationis phantaſmata quædam eſſe ac ſomnia tanto magis mihi perſuaderi patior, quanto gravius inter rem ipſam ac veritatem omnem diſſidium intercedit. Satanam eſſentias rerum, earúmque qualitates qua eſſentiam quidem non conſtituunt, ſed eam conſtitutam immediaté & veluti ſecundo naturæ momento conſequuntur, & ſine quibus ne puncto quidem temporis res ſubſiſtere poteſt, tollere non poſſe, unanimiter & á Theologis & á Philoſophis receptũ eſt axioma. Idq; ita verum eſt, ut ſit καὶ ἄμεσον καὶ ἀμετάπτωτον, καὶ ἀναπόδεικτον. Talis qualis eſt locus. Locus enim rem conſtitutam ſtatim excipit, & res eſt in primo naturæ momento, ſicut locus in ſecundo, ac licet locus nõ ſit de eſſentia corporis, eſt tamen corpori neceſſarius, quatenus corpus eſt. Idque eſſe eſt illa περίστασις extrinſecus adveniens. Et quamvis locus ſit corpore poſterior, neque ingrediatur definitionem corporis, non tamen corpus poteſt eſſe ſine loco illo. Nam tametſi, quod non includitur in definitione, abeſſe poteſt á definito in definitione: non omne tamen

abeſſe

abesse potest ab ipsa re definita. Propria enim, quæ vocantur, in definitione non ponuntur, à re tamen abesse nequeunt, cujus propria sunt. Etsi namque sunt naturâ suis substantiis posteriora, non tamen re, sed aut ipsamet res in secundo momento naturæ, ut vult ipsemet Duns, sunt, aut saltem omnino inseparabilia. Qua necessitudine conjunctum cum corpore locum arbitror. Ita Julius Cæsar Scaliger post homines natos præstantissimus, & pari cum Aristotele gradu incedens Philosophus non minús subtiliter, quám utiliter & veré scribit. *Exercit: ad Cardan. 5. sect. 6.* Proinde Satanas corpori Physico locum adimere non potest. Adimeret autem, si Sagas per minutissima illa caminorum foramina, per quæ vix passerculo alicui transvolandi facultas daretur, abduceret. Locus enim nullus & locus inæqualis in Physicis æquiparantur, & natura penetrationem dimensionum in solidis corporibus non concedit. Et animadversione dignum est, quod Augustinus *in Epistola ad Dardanum: Tolle,* inquit, *spacia corporum, nusquam erunt, &, quia nusquam erunt, nec erunt.* Quod idem obtinet, si Satana non deducente Sagas, subvolare eas dicere aliquis audeat. In adipe enim tanta vis esse nequit, ut corpus grave, quod secundum naturæ ordinem deorsum fertur, sursum in aërem

evehat. Neq; Satanas ista fotamina amplia- re putandus est. Audiretur.n.sonus aliqs ex collisione corporũ necessarió resultans, id q̃ factum esse nuspiá legitur, & fando nun- quam est auditum Et tamen salva omnia in cõtignationibus tectorum reperiũtur. Id- circo cúm hæc sententia & in Philosophia & in Theologia sit absurda, in eorum sen- tentiã pedibus eo, qui existimant, ex corru- pta á Diabolo phanthasia obfirmatam hãc de choreis & tripudiis cum Cacodæmone & sociis opinionem Sagas in animis suis fovere. Ista .n. opinio nihil absurditatis ha- bet. Quin imó & Physici & Medici mira- biles imaginatricis virtutis operationes es- se constanter affirmant. Cuilibet autẽ pe- rito in sua arte credendum esse diserté pro- nunciat U*lpian.in l. 1. in princ. ff. de ventr. inspici text. in l. bonorum ff. de bonor. possess. l. Intestato ff. de suis & legitim. §. Quod autẽ á nobis in Auth. de non alien. l. Semel C. de re militar. lib. 12. l. 7. ff. de stat. homin. c. Significavit de homicid. c. ꝑposuisti de ꝓbat. fraternitatis de frigid. & malefic. Spec. in tit. de ho- micid. §. 1. col. 1. vers. Pone A vulneravit, et iterũ vers. an mortuus Bertaz. cons. 1. n. 21. & cons. 116. n. 15. et 208. nu. 22. in crim.* Quam-plurimos Doctores citat *Masc. de prob. vol. 3. conclus. 1169.* Et p̃sertim ægritudo alicujus, ut est phantasia maléaf- fecta, medicorum testimonio ꝓbatur *Bart. in l. contumaciam §. pœnam. ff. de re judic.* Elegan- ter

ter id probat Gordiani Imperatoris reſcriptũ *in l.ſemel C.de re milit.lib.12.* ubi reſcripſit, militem é militia ægritudinis ergo non debere, mitti, niſi Medicis hoc denunciantibus *Bartol. in d. l. 1.ff.de ventr.inſpic.* Et, ut συλλήβδην dicã, quid veritatẽ ſententiæ noſtræ pluribus aſſerere attinet, cũ, ipſâ evidentiâ facti cõfirmetur, quâ certior probatio nulla eſt, ideóq; omni ꝓbationi præferri dicitur *Azo in ſumm. tit. C ad l. Aquil. in rubr. ſicut refert, cõmendat. & ſeqtur Bald. in rubr. de prob. col. 1. in fin. & in l. 1. C. ſi adverſus libert. & in l.pen. C. de pericu. tutor. & Bal ia l. 1. C. Sentẽt. reſcind. non poſſ. & Abb. in c. 1. de purgat. Canon.* qui omnes uno ore docuerunt, hãc per evidentiã facti probationẽ lõgé omnes alias ſuperare. Laté & eleg. *Joſeph. Maſc. q. 8. in prolegom. vol. 1. de probat.* Veritas autẽ ſententiæ noſtræ per evidentiã facti ita cõperta eſt. Fœmina quædã, quę Megapolitano cuidã nobili fidelẽ diu operam pręſtiterat, á qbusdam incantatricibus poſtea incẽdio extinctis criminis ſocia nominata fuit, quæ illã ſcientiæ ſuæ rationem attulerãt, ꝙ aliquoties ipſa in monte illo, ubi convẽtus agitare ſuos annuos conſuevifſent, verſata ſecum fuiſſet. Id herus, qui mulierem propter ſingularem in re familiari adminiſtanda dexteritatem mirificé diligebat, primúm perquám moleſté tulit. Poſtea ut crederet, vix adduci poterat.

Cúm vero tandem ea de re ancillæ loqueretur, fatua illa respondebat, confessionem istam de peregrinatione ad montem illum veram esse, sibíque eum aliis sequente nocte eó proficiscendi necessitatem imponi. Quid veró fit? Nobilis, Pastore aliísque familiaribus noctu domum suam accersitis ad seq; receptis mulierem in conclavi quá diligentissimé asservat, reipsa experturus, futurúmne sit, ut peregre abeat. Sed ecce tibi cúm illa sese perunxisset, ita arctus eam somnus complectebatur, ut neque nocte illa neque postero die expergisceretur. Insequenti autem luce interrogata respondebat, se unâ cum aliis Veneficis in monte solito conventui consueto interfuisse, nec aliud quicquam sibi ipsa persuaderi patiebatur. Meminit hujus historiæ D. Georg. Godelman. *in suo tractat. de Mag. Venef. & Lam. num. 23.* Et plures ibidem tam Physicos & Medicos, quám Jureconsultos idem sentientes adducit. Præterea cúm Diaboli, scriptura teste, nocte diéque eam in curam atque cogitationem incumbant, quemadmodum homines túm in hujus, túm æternæ salutis periculum cōjiciant, annón credibile est, eos honestarum quarundam piarúmque mulierum, quas propter eximiá pietatem capitaliter oderunt; funditúsque eversas propterea extirpatásque esse cupiunt,

piunt, ſpecies ac formas in iſtis choreis repræſentare poſſe, ut deinde alii forte adventantes mulierum iſtarum formas in ſylvis videant, conſpicatique fœminas iſtas, quas revera ſe vidiſſe exiſtimant, ad Magiſtratum deferant, qua delatione ipſæ non ſolúm grave exiſtimationis ſuæ, ſed etiam vitæ diſcrimen non parum quidem ſæpe incurrunt, ſi non omnino luce hac privantur. Atque Satanam non ſemel in nefariis quibusdam criminibus id tentâſſe, ex hiſtoriarum monumentis didicimus. *Audivi*, ſcribit Ludovicus Lavaterus de ſpectris *libr. un. part. 1. cap. 19. pag. 111. ex viro gravi & prudente ditionis Tigurinæ præfecto, qui aſſeverabat, ſe æſtate ſummo mane cum ſervo ſuo iter faciente per paſcua, vidiſſe quendam ſibi optimé notum, qui equæ ſe nefarié commiſceret, ſe obſtupefactum reflexiſſe iter, pulſaviſſe ædes illius, quem putabant ſe vidiſſe, atque certo comperiſſe, quod ille cubiculo ſuo nunquam egreſſus eſſet. Et niſi omnia diligenter exploraſſet, bonus & honeſtus vir in carcerem detruſus, & tormentis ſubjectus fuiſſet. Hanc hiſtoriam, inquit, ideó recito, ut Judices in hujuſmodi caſibus cauti ſint. Diabolus enim hac via ſæpe innocentibus inſidiatur. Uxor Henrici ſecundi Imperatoris, Chunegunda, ſuſpecta fuit de adulterio, rumoréſque ſparſi, quod nobili quodam Juvene in aula nimis familiariter uteretur. Diabolica enim illius iuvenis ſpecies é cubiculo Auguſtæ egrediens ſæpe conſpecta fuit. illa poſtea calcan-*

 do igni-

*do ignitos vomeres ( ut illis temporalibus fieri consuevit ) absque ullo pedum detrimento suam innocentiam declaravit. Albert; Crantz, lib. 4. cap. 5. Metropol.*

Et quid opus est sententiæ nostræ fundamẽta ex Philosophis, Medicis, & Historicis paulò altius repetere, cúm contrariæ opinioni fidem omnem abrogãdam esse Pontificio jure disertè doceatur *c. Episcopi. 26. q. 5.* allata hac ratione, quód Diabolus per somnia variè hominibus imponere, eorúmque phanthasiam mirum in modum afficere possit, quamvis ipsius juris autoritas absque ratione per sese sufficiat. *Petr. Dominic. Magdal. de num. test. in testam. requis. cap. 22. numero 52. p. 1.*

Unde constat, contrariam sententiam nullum vel in Philosophia vel in Jurisprudentia vel in Theologia habere fundamentum. Ac sufficiat nobis, qui professione Jureconsulti sumus, Adversariorum opinionem in jure esse reprobatam. Itaque in refutãdis ipsorum frivolis argumẽtis operam inanem haud sumam, quod & á Godelmanno *in d. cap. 4.* abundè illis satis sit factum. Adde Joannem VVierum de præstigiis Dæmonum *lib. 3. cap. 9. & 10.*

Cúm igitur & naturâ, & facto, & jure & pugnantiâ denique atque perplexitate

sit

sit ἀδύνατον (ita enim τὸ ἀδύνατον sive impossibile distinguunt DD. *in l. Impossibilium. ff. de Reg. Jur. & l. Non solum.31. ff. de obligat.*) ut venefici de nocte scopis insidentes atq; per caminum subvolantes ad choreas deferantur, testimonium maleficorum istorum, ut maximé in tormentis subjecti adversus consulentem matronam nostram deposuerint, se vidisse ipsam in solennibus suis feriis ac congressibus, omni fide destituitur. Testi.n.non verisimilia deponenti credendum non est. *text. est in l. ob carmen. §. 1. ff. de test.ib. cap. Quia verisimile. Et ibi Abbas & Felin. ext. de præsumpt. Jas. in l. Si extraneus. in 4.notab.ff.de condict.ob caus. Alexand.consi.2.num. 11.Volum.2. Cravet.consi.134.numer.30.consi.28. in princ.consi. 115.num.11.* Quod enim non est verisimile, non est credibile, nec cōsiderabile. *l. Qui habebat. ff. de Legat & fideic. 3. Ruin. consi.1.num.11.vol.5.* Verisimilitudo enim est cognata naturæ, et é contrario non verisimile naturæ adversatur. *l.1.ff.de his qui sunt sui vel alien.jur. Riminal.sen.cons.442.num.14.vol.4. Nat.cons.665.nu.9. Decian.respons.91.nu.44. vol. 3.* Id.n quod distat á verisimili, imaginé habet falsitatis. *Bald.in l. 1. col.3. C. de serv.fugitiv. et in l. Acto.q. asseverat C.de Prob. Pacirol. cons.58. nu.38.vol.1.Rol.á Vall.cons.49 nu.36.et seq vol. 4. Marsil.cons.20.colum.ult. cum aliis adductis per Tiraquell.in præfat.l.Si unquam. num.44.C.de revo-*

*cand. donat. vide Joseph. Marscard. de prob. volum. 3. conclus. 1358. per tot.* Et quod in delictis exceptis, veluti in crimine lesæ Majestatis, & maleficii conclusio ista nō procedat, quód nimirum socius contra socium non probet per jura supra propos. sed in his delictis socii criminis confessio adversus alterum in tortura facta, ad inquisitionem indicium faciat juribus anté allegatis, id singulariter limitatur, si socius criminis alium nominando deponeret non verisimilia. Hoc enim casu nullam ipsi fidem adhibendam esse scripserunt *Aret. in c. cum P. colum. 7. de accusat. Marsc. cons. 24. num. 12. Alex. cons. 89. num. 9. volum. 3. Rolan. á Vall. cons. 73. num. 25. volum. 1. Mascard. de probat. d. vol. 3. d. conclus. 1311. num. 45. & numer. 46.* cum aliis quam-plurimis ibidem citatis.

Ex his omnibus ita traditis non difficile est intelligere, confessionem maleficorum adversus nostram consulentē nihil omnino & ne inquisitionem quidem de jure operari, quoniam omnes conditiones illæ, quæ ad hujusmodi cōfessionem requiruntur, desunt. Quód si autem aliâs circumstantiæ omnes eaque requisita, quæ partim supra á nobis tradita sunt, partim ab aliis ex professo tractantur, cum confessione maleficorum concurrant, sufficiens ad inquisitionem indicium in hoc maleficii genere

nere iſta facit confeſſio,uſq; adeó ut in carcerem nominati ſocii conjici poſſint. Quas circumſtantias ſi proceres prædicti oppidi cum confeſſione conjunctas deprehendentes maleficii inſimulatum in vincula detrudant, ad juris & conſtitutionis Carolinæ præſcriptum ab ipſis proceditur.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS QUARTÆ.

*Quid de purgatione Sagarum per aquam frigidam ſit ſentiendum.*

CÆTERUM idem oppidi iſtius Senatus, poſteaquam per confeſſiionem maleficorum diffamatos in carcerem conjecit, omnia minima maxima facit, ut voluntariam ab iis confeſſionem eliciat. Hoc ſi fieri non poſſit, & tamen, utrum nocentes ſint iſti homines, an veró innocentes quorum illud ad condemnationem, hoc ad abſolutionem requiritur, plené nondum conſtet, ad purgationem Sagarum per frigidam neceſſarió decurrendum ſibi eſſe exiſtimat. Itaque hanc rationē Patres-conſcripti Reipub. illius ineunt: Sagas é vinculis exemptas, curruíque impoſitas, per carnificem extra portam ad profluentem aquam devehi jubent. Ibi decuſſatim eæ ſiniſtra manu

dexteri pedis pollici, & rursum dextera manu sinistri pedis pollici alligatis in aquas conjicitur. Quód si tum submergantur, ut innocentes absolvuntur, si veró non subsidant sed aquis supernatent, eodem die gravi quæstioni subjiciuntur. Quid veró de hac purgatione per frigidam sentiendum sit, jam indicabimus.

Quando Magistratus de delicto in aliquem inquirit, & ex iniquisitione facta neque nocentem prorsus, neque innocentem eum, in quem inquiritur, deprehendit, ut propterea nec ad condemnationem nec ad absolutionem devenire possit, purgationem inter condemnationem ac absolutionem intermediam ad manus sumere cogitur, sicut Joannes Oldendorpius Jureconsultus incomparabilis *Class. 7. pag. (mihi) 1028.* hisce verbis testatur. *Prædictis autem duobus remediis ad detegenda crimina, videlicet nunciationi & inquisitioni, ut exitum inveniant, subveniunt purgationes. Ecce enim si quis fuerit de crimine delatus, nec sint probationes, quæ ad condemnationem sufficiant, quanquam nunciationi sint satis: certé judex hîc lupum tenet auribus. Condemnare enim non potest, quoniam jus vetat, rursus absolvere statim tam suspectum hominem res fuerit mali Exempli, & quæ illum ipsum quoque ad delinquendum faciat*

*ciet audaciorem. Quid igitur erit? Medium quoddam est purgatio, cujus forma hodie mutata est,* Hactenus Oldendorpius.

Purgatio duplex est: Jurata una; violenta altera. Illa & per Sacramentum purgatio & Canonica dicitur *tot. titul. ext. de purgat. Canon.* & Imperatorum quoque Constitutionibus est confirmata *l. 6. C. de Procurat.* ubi *Imperator Alexander* ita scribit: *Reum criminis constitutum defensionem caussæ suscipere non posse, antequam purget innocentiam suam, incognitum non est l. 3. C. de reb. cred.* ubi in bonæ fidei contractibus, nec non etiam in ceteris caussis inopia probationum per Judicem jurejurando, caussa cognita, rem decidi oportere rescribunt *Imperator. Dioclet. & Maximinian. l. Eos qui. 26. in fin. verb. Sacramenti etiam illationem. C. de usur. l. fin. §. Si quis autem, C. de jur. deliber.*

Est autem purgatio per Sacramentum talis formula purgandi, quâ delatus apud Magistratum, adhibitis septem vel pro qualitate rei paucioribus, qui & fide digni sint, & propter vicinitatem compertam habere queant veritatem, se non admisisse tale crimē jurat, quod objicitur, cōpurgatores autem se credere jurat quod prin-

principalis jurans dicat veritatem. *c. de testib. & c. ult. de purgat. Canon.* sicut ad verbum ferè definit. *Oldendorp. d. l. Consulantur. Hostiens. in sum. de purgat: Canon. num. 3. Jul. Clarus. in Pract. crimin. §. fin. quæst. 63. num. 4. DD. in d. l. Bonæ fidei. C. de reb. cred. Alexand. cons. 66. num. 1. volum. 1. incip. viso processu.* Eaque defensio sive purgatio per Sacramentum adhuc hodie in usu est. Sic quãdo quis ex legitimis incidiis & præsumptionibus de crimine fractæ pacis suspectus est, quód nimirum pacis publicæ turbatori vel opem præstiterit, vel in mensam cum suam, domum aut hospitium receperit, & offensus exhibitis articulis Judicii Cameræ imperialis caussas istas suspicionis proposuerit, processúsque sibi decerni petierit, contra suspectum Citatio ad purgandum in Camera decernitur, ut intra terminum in Citatione præfixum veniat se juramento purgaturus, entschüldigung mit dem Eyde zuthun/ idque sub publicæ securitatis tessera, vel salvo, ut loquuntur, conductu, bey einem vngefährlichen Geleite / vor jhnen vnd alle die jenigen / so er mit jhme zu solchem Tage bringen wirdt. Quemadmodũ prolixius videre est, in constitutione pacis publicæ. *Imperatorum, Maximiliani I. Caroli V. de Anno 48. tit. 15. & ordinat. Cameræ part. 2. tit 10. § 1. Gayl. de pac. pub. lib. 2. cap. 7. num. 1.* Quę etiam Citatio parte non petente ex officio

á judice

á judice decerni poteſt; *d.tit.10.§.* Es ſollen vnd mügen / *Gayl.d.c.2.num.2.* Et ſi quidem reus gravi ſuſpicione laboret, etiam cum eo conjuratores ſive compurgatores, aut Sacramentales [vulgariter Mitpurgatorn] probatæ vitæ jurare debent, quod videlicet credant, eum verum juráſſe, ſecundum formam *Ordinat. part. 2. tit. 10. in fin. Gayl. lib. 2. de pac.pub.d. cap. 7. num. 11.* Et numerus horum compurgatorum ſive Sacramentalium in hoc fractæ pacis crimine eſt arbitrarius, Steht bey beſcheidenheit deß Richters. *Ordin. Camer. part. 2. tit. 10. §. 1. in fin. Gayl. d. c. 7. num. 14.* Adde *Mynſing. Cent. 2. Obſervat. 87. & Obſervat. 88.* Vide & latiús de hac purgatione. *Oldendorp. d. loc. prolixé Godelman. lib. 3. de Mag. Veneſ. & Lam. cap. 4.*

Defenſio ſive purgatio per juramentum duodecim Sacramentalibus conſuetudinibus quoque feudalibus recepta eſt, &, ſi controverſia inter dominum & vaſallum de feudi inveſtitura exiſtat, quandóque domino, quandóque vero vaſallo datur. *c. vn. ibi dabitur defenſio cum duodecim Sacramentalibus, ſi de inveſtitur. feu. controverſ. fuer. cap. vn. ibi habet poteſtatem ſe defendendi per Sacramentum, quid ſit inveſtitur. c. unic. ibi poſſidenti dabitur Sacramentum cum duodecim Sacramentalib. de conſued. rect. feud. Borchold. de feud. c. 7. n. 48. & communite. Feudiſtæ in dd. loc.*

Pur-

Purgatio violenta erat, quæ fiebat per duellum, & per aquam frigidam vel ferventem, aut per ferrum candens. de Duello. *text. est in cap unic. §. Si quis hominem de pac. tenend. & ejus violator. cap. vnic. §. fin. de alien. patern. feud. cap. 1. & 2. de purgat. vulgar. Cagnol. in l. Favorabiliores. de Reg Jur. Alciat. in lib. de singular. certam.* Quùm autem admodum tyrannica sit hæc purgatio, sublatum est duellum illud. *cap. Monomachiam. 2. quæstion. 4. cap. 1. & 2. extr. de purgat. vulgar. Jas. consi. 144. in 2. dub. lib. 2. Dec. consi. 487. Oldendorp. d. loc. numero 50.*

Defensio per aquam frigidam vel ferventem aut per ferrum candens itidem abolita & sublata est, *cap. dilecti ext. de purgat. vulgar. cap consuluisti. 2. quæst. 4 cap. ex tuarum de purgat. Canon. Borch. d. cap. 7. numero. 52. Oldendorp. d. loc. Gayl. lib. 2. de pac. publ cap. 7. numero 24.* Et purgationem per frigidam aquam nominatim quoque sustulit *Lotharius Imperator in Jur. Longobard. lib. 2. tit. 54. Godelmā. in suo Tract. de Mag. Veneefic. & Lam. lib. 3. cap. 5. numero 22.* Neque in constitutione criminali *Caroli V. Imperatoris* ulla illius fit mentio. Itaque cùm expressé prohibita sit, malé facit, quicunque judex illam ad usum revocat, adeóque hujusmodi probatio, ut quæ contra jus interponatur, nullum effectum producit. Actus enim, qui fit lege pro-

prohibente, est ipso jure nullus. *l. Non dubium.* ibique communiter *DD. C. de Legib.* Idcircó oleum ac operam ii perdũt, laterémque, quod est in proverbio, lavant, qui in indagandis purgationis hujus per frigidam caussis, sive naturalibus sive præternaturalibus, sollicité laborant. Atque hoc per aquam frigidam Examẽ omnium per Germaniam Academiarum Jureconsultorum collegia, veluti injustum, superstitiosum, ac iniquum, summáque cum impietate conjunctum repudiant, ita quidem ut verissimé nobis affirmare liceat, sententiam hãc nostram ab omnibus communiter receptam esse, ideóque judicem citra tyrannidis notam ab ea recedere non posse, per supra adducta fundamenta.

Neque veró argumenta illa, in quibus *Gulielmus Scribonius* (quem ut Philosophum præstantissimum & acutissimum magni ceteroquin facio) prorã opinionis suæ puppimque collocat sunt ἀμελάβλητα καὶ ἀδιάλυτα. Si namq; ad rectæ rationis libellam pauló accuratius examinẽtur, ruinosa, sophismatisq; usquequaq; referta dep̃hendentur.

Satanam scribit *Scribonius* in Sagarum corporibus levitatem operari. At cedo, *Scriboni*, quæso te per Deum immortalem, an non quicquid est leve, idem est materiatum? an non omne leve est corpus?

Si

Si Philoſophus es & medicus, quem ego te eſſe ingenuè profiteor, non inficiabere. At ſpiritus non eſt materiatum aliquid, nō eſt corpus, ſicut vniverſa & Philoſophorū & ſaniorum Theologorum caterva vnanimiter docet. Ergo non eſt levis. Si levis non eſt, corruit pronunciati tui ratio. Ergo & ipſum pronunciatum. Deſtructa namque in Philoſophia dicti alicujus ratione; & ipſum dictum deſtruitur.

Neque patrocinatur tibi *Julius Cæſar Scaliger Exercit. 369. ſect. 2.* cum intelligentias ex aliquo tanquam potentia, & ex aliquo tanquam actu, compoſitas eſſe ſcribit. Potentiam autem illarū dicit eſſe ipſarum τὸ εἶναι ſive eſſe, actum veró ipſarum eſſentiam. Nā *Scaliger in d. ſect.* ſe ipſe explicat, quia non ἁπλῶς ſive ſimpliciter, ſed κατὰ σύγκρισιν ſive comparative in comparatione nimirum cum Deo Opt. Max. id affirmat. Cum enim quæſiviſſet, an intelligentia ſit purus actus? Reſpondet his verbis negativé. Non. Solus Deus cauſſa eſt ſine cauſſa & ens abſque ente. Mera namque eſſentia. Intelligentia veró tametſi non eſt compoſita ex materia & forma, tamen conſtat ex aliquo tanquam potentia, & ex aliquo tanquam actu. Et paulo poſt illam τὴν οὐσίαν ſive eſſentiam, ſicut & τὸ εἶναι ſive eſſe hiſce verbis interpretatur. Eſt autem eſſentia, quâ eſt id quod eſt.

est. Esse veró ejus est receptivitas essentiæ (ita inquit Scaliger veniam in fine sectionis â Ciceronianis manibus majorẽ in modum precatus) quæ non est in prædicamẽto materiali, sed neque in prædicamẽto intelligibili qualitatis, sed in prædicamento substantiæ supranaturali. Ex materia & forma metaphysica dicit Scaliger compositas esse intelligentias. Qualis autem est essentia intelligentiarum, tales quoq; sunt qualitates. At essentia est metaphysica, ergo & qualitates. Levitas autem est qualitas nõ metaphysica sed physica. Ergo in metaphysica essentia inesse nequit. Porro quicquid est leve, idem quoque est corruptibile, quia levitas est qualitas ab elementis proveniẽs. Quicquid enim ab elementis originem suam trahit, id, sicut & elementa ipsa, corruptioni est obnoxium. At Spiritus non sunt corruptibiles, sed αἰώνιοι sive ut Philosophi loquuntur, æviterni. Ergo non sunt leves.

Diabolus autem est Spiritus, proindéq; levis non est. Si igitur Diabolus non est levis actu primo, ut hactenus quidem demõstratum est, neque erit levis ἐνεργητικῶς & quo ad actũ secundum, quia actus secundus á primo dependet. Satanas igitur in Sagarũ corporibus levitatẽ operari haud poterit. Et λίαν μέγα αἴτημα αἰτεῖ, hoc est, ni-

mis magnum pôstulatum postulat, Scribonius, qđ â Mathematicis desumptũ est diverbiũ; quando pro cõfesso& concesso sumit, Diabolum ὀυσιοδῶς sive essentialiter in Sagarum corporibus inhabitare. Neque ut maximé tibi hoc daremus Scriboni, qđ per veritatem tamen non possumus, ex eo evinceretur, Diabolum in Sagarum corporibus levitatem operari. Refutat te namque sacra scriptura testis omni exceptione major, cum porci á Satana obsessi non in superficie aquæ retinentur, sed deorsum in profundum submerguntur. *Matth. 8. cap. versicu. 32.* Scribis in Epostola tua, *Scriboni*, ad Lemgovienses Senatores, per pactum illud, quod Sagæ cum Diabolo ineunt, formam ipsarũ atq; statum, Satanâ nimirum in corpora illarum statim ingrediente, omnino mutari. Si autem forma mutatur, mutatur aut forma totius compositi, hominis nimirum, quatenus homo est, quæ forma est anima rationalis, aut forma illa quæ in mixto est, quam Philosophi barbaro vocabulo formam corporeïtatis appellant, & si alterutra mutatur, aut καθ' ὀυσίαν sive secũdúm essentiam, aut κατὰ ποιότητας sive secundũ qualitates mutatur. Forma corporeïtatis non mutatur, quia manente caussa manet effectum. Mixtio elementorum est caussa formæ corporeïtatis, hæc namq; ex

illa

illa veluti ſurculus quidã effloreſcit, mixtio autem manet, ergo & actus inde reſultans. Mutabitur ergo forma hominis, quatenus homo eſt homo. Hæc ratione eſſentiæ non mutatur, quia tunc præcedente corruptione Sagarum, nova quædam ipſarũ exiſteret generatio, mutatio enim ſeu abolitio priſtinæ eſſentiæ generationem inducit, atq; ita Sagæ primùm morerentur, per novámque generationẽ novam ſtatim formam ſuſciperent. Id quod & valde abſurdum eſt, & manifeſté falſum. Videmus enim, Sagas eſſe & manere homines. Mutabitur igitur quo ad qualitates metaphyſicas ſuæ naturæ convenietes, ſic quidem, ut quæ antea pulcerrima Dei creatoris imagine luceret, mõſtroſiſſimam Cacodæmonis larvam nũc induerit, &, quæ variis antehac virtutibus erat exornata, nunc turpiſſimis nullorũ non ſcelerum ſordibus ſit inquinata. Ut autem *Scribonium* talem mutationem intelligere, Sole meridiano clarius demonſtremus, agite audiamus *Scriboniũ ipſum*, qui in Phyſiologia de Sagarum natura contra *Joannem Evvichiũ & Hermannum Neuvvaldum* hiſce verbis ita diſſerit: *Si igitur maximé*, inquit, *poſt longam diſputationem demonſtraveris, me expreſsé vocabulũ formæ absq; addita dictione ſtatus, uſurpâſſe, ne ſic tamen horũ verborũ inconcinna interpretatio meæ antecedentiũ expoſitioni ullo modo refraga-*

bitur, neque adhuc dum tuum contra me argumentum solide, id, quod voluisti, confirmabit.

Qui sic ergo quæres? Additum scilicet verbum immutationis recté explicetur, & res tota absque omni controversia facillimé intelligetur.

Statum dixi formæ, vel etiam, si omnino velis, μετονυμικῶς ipsam formam immutari? Quid autem, quis, qualísque motus est rei alicujus immutatio? An omnimoda ejus destructio? an totalis corruptio, aut in nihilum redactio? Minimé quidem gentium omnium. Quis enim unquam in scholis præsertim Aristoteleorum, in quorum te quoque numero habere cupis vocabulum illud sensu ejusmodi accepit? Distinguitur enim plurimúm inter corruptionem, quæ etiam destructio & interitus dicitur, et inter immutationem, quæ aliâs alteratio quoque vocatur. Corruptio cujuslibet formæ corruptibilis est talis interitus, ut non sit illa nec maneat amplius in suo formato; immutatio sive alteratio est motus rei mobilis aut mutabilis, quæ mutatur ipsa non in essentia, verúm in essentiæ qualitatibus, ut tales deinceps non sint aut maneant, quales antea fuerunt observatæ. Vel ut brevius dicatur: Corruptio seu totalis destructio vel abolitio est substantiæ: Alteratio autem seu immutatio est qualitatum illius qualiũcúmque. Quod si igitur adhuc repeterem, formam Sagarum immutari, quomodo hæc verba recté interpretari velles? Putabísne sensum horum verborum esse, formam earum plené aboleri, omnibus partibus destrui atque corrumpi? Imperitus quidem et in-

insulsus omníque ratione plumbeus Physicus hoc facturus sit: Sequeretur enim præterea, quæ diximus, Sagas in ista destructione quam-plurimùm mori, & hanc vitam relinquere. Sed qui tantam, ut tu, ætatem in Physicorum Medicorúmque scholis & lectionibus contriverit, eum quam proposuimus veram & cognitu satis facilem specierum motionis differentiam aut ignorare, aut nō admittere velle, proxsus ridiculum est. Hæc enim si non ex Physicorum libris, ex prædicamentis tamen tuis Aristotelicis cognosci poterat. Sciendum igitur, aliud esse Substantiam sive formam corrumpi, aliud eam in qualitatibus adjunctis immutari. Sed quid opus est pluribus? Finem horum facio. Ex antecedentibus proinde facillimé videre est, quo sensu in consequentibus deinceps dictum sit, Sagas non amplius esse tales homines, quales fuerint ante initum cum Satana fœdus. Omnis homo quatenus est homo, conditus est rationalis ad imaginem æterni sui creatoris. Ista autem DEI JEHOVÆ in homine imago, quis est, qui ignoret, in quibus consistat? Non certe in principatu, ut imperium tantummodo (liceat verbis uti Poëtæ) haberet in beluas, aut prædominaretur cæteris, sicuti Augustinus interpretatus est, sed in omni genere virtutum, quibus semper debet elucere, Divo Apostolo Paulo demonstrāte in veritate, sapientia, & aliis hujusmodo consistit. Conditus est homo, ut DEO OPT. MAX. in omnibus esset similis. Quemadmodum & Plato erudité, piéque DEO nos similes esse jubet. Quamvis enim similitudo ista & imago multis, proh dolor,

modis

*modis per lapsum primorum parentum obfuscata & conspurcata sit: attamen* CHRISTUS *Salvator humani generis misertus fecit, ut* DEUS *nos, qui per Adamum omnes lapsi sub peccato conclusi essemus, iterum erigeret, in gratiam reciperet & per Filium pro nobis deprecantem, si saltem fidem ipsi haberemus, salvos & beatos esse vellet. Quocirca qui hæc norunt (de Christianis loquor per baptismum regeneratis et in sacro verbo institutis) et agnitā veritatē nihilominus â* DEO *trino deficientes denuo abnegāt, cur non dicerem, eos tales amplius non esse, quales antè fuerunt, & qualis universi esse omnino debent; eos inquam, qui partem maximam luminis, splendoris, dignitatis et virtutum, quibus anima, aut, si velis, forma ipsarum collustrabatur, ex pacto & certo deliberatóq; consilio lubentes volentes liberrimé amiserunt, qui in profundissimū abyssi aut inferorū lacum se ipsos sponte præcipitârunt, ut cū maxima difficultate superas iterum auras possint contingere. An veró putas eandem quoq; rationem esse aliorum peccatorum, quos & ipsos multiplici delictorum genere coinquinatos esse novimus? Sed inquā haud rectè putas. Ineffabile propemodum discrimen est Sagarū & aliorum peccatorum. Et si forsan defensionis meæ testibus aliis eorúmve testimoniis vix fidem sufficientem habiturus sis, ad summum sacrosanctæ Trinitatis Tribunal, ad ipsum justissimum Judicem appello* CHRISTUM DEI *Filium, qui peccata, quæ in Spiritum sanctum committuntur, non remitti posse asserit. Qualia igitur, dixeris, Sagarū peccata sunt?*

in

*In quantum Sagæ, aliis peccatoribus differunt? Certe si universas Decalogi Leges nullis omißis examinaveris, omnes peccatores cum Sagis non sunt conferendi. Quis enim non omnibus modis deteriorem judicabit eum, qui lubens ac sponte sua à DEO deficit, & multoties peccat, quā alium quēvis delinquētem hominem. Alii.n.ex stupiditatē cordis se* DEUM *minus offendere putant. Sagæ autem* DEUM *aspernantur, contemnunt, abiurāt &c. De quo tamen suo loco plenius. De tot igitur adjunctis formæ virtutibus & ornamentis ceu clarißimis septentrionibus obfuscatis, ne quo alio nunc verbo utar, non de essentia dixeram. Tales non amplius esse eas asserui, quales ante fuissent, non intelligens earum substantiam animo & corpore constantem, vel etiam exteriorem cōstitutionem & faciem. Tale vel non tale esse quippiā arguitur & ostenditur argumento comparationis in qualitate. Hoc autem vel illud esse argumento materiæ & potißimū formæ declaratur. Vel quid res sit, arguit definitio, q̄ ex prædictis caussis ex materia & forma sumitur. Qualis res sit vel non sit, similitudo arguit. Hæc saltem Logica fundamenta si D.D. Evvichius novisset, haud dubiè quoq; potuisset intelligere, quo sensu dixisse, Sagas ob tot animæ suæ dotes amissas nō amplius esse tales homines, quales ante fuerint.*

Hactenus Scribonius prolixè disseruit, quando in Epistola sua ad Legovienses scripsit, simulátque Sagæ pacto sese Satanæ, obstringant, formam ipsarum immutari, per immutationem non intelligere sese

generationem & corruptionem, qui propriè motus ab Ariſtoteleis dicantur, ſed alterationem.

Verbum enim immutationis alterationi omnium rectiſſimè, ſicut & aliis mutationibus, augmentationi ac diminutioni competere. At verò ſi Scribonius Ariſtotelicā acroaſin, ejúsque interpretes pauló diligétius evolviſſet, crediderim equidem eó abſurditatis nunquam ipſum fuiſſe deventurum, ut affirmâſſet, per mutationem propriè in Philoſophia Ariſtotelica denotari alterationem, cæteráſque motus ſpecies, quæ ſunt in aliquo accidentis prædicamento (ratione enim termini ad quem motus in prædicamento eſſe dicitur) & per motum ἰδιαίτάτως ſignificari generationem & corruptionem, cúm contrariū Peripateticus Philoſophus ejúsq; aſſeclæ doceant. Alteratio enim, augmentatio & diminutio motus ſunt, generatio & corruptio mutationes. Græci motus κινήσεις, mutationes μεταβολάς appellant. Generatio enim & corruptio motus eſſe nō poſſunt, quód omnis motus fiat ſucceſſivè & in tempore, generatio autem & curruptio ἐν τῷ νῦν ſive in inſtanti ac veluti ἐν τῇ στιγμῇ, τοῦ χρόνου propter formam ſubſtantialem q̄ eſt ἀμέριστος ſive indiviſibilis καὶ ἐν ἀτόμῳ, ut Philoſophorum verbis utar, poſita, & omnis

omnis motus procedat á contrario ad contrarium, á contraria qualitate ad contrariam qualitatem, á frigiditate ad caliditatem, á parva quantitate ad magnam, ſubſtantiæ autem non dicantur contrariæ ſed diſparatæ. Audísne Doctor Scriboni, quám turpiter híc inſcitiam tuam in Phyſica Ariſtotelis acroaſi prodideris? Et quám parum in Logica triumphes, eo declaraſti, quód cúm cauſſam levitatis in corporis Sagarum, in mutationem formæ ipſarum contuliſſes, eam deinde mutationem interpretaris de alteratione animæ metaphyſica, quando nimirum anima Sagæ, quæ fœdus cum Diabolo ſanxit, imágine Dei exuta, facta eſt larva Satanæ, quando depoſitis præſtantiſſimis virtutibus omnibus turpitudinis notis fuit deformata, quando denique luce divinæ gloriæ abjecta ſqualidis Diabolicæ ἀποστασίας tenebris eſt obſcurata. Dic mihi per Deum, Scriboni, quæ poteſt intercedere affectio inter alterationem animæ metaphyſicam, & inter alterationem corporis phyſicam? Quomodo ex alteratione animę secūdúm virtutes & vitia poteſt hæc nova corpori accedere qualitas, ut quód antea erat grave, & ſua natura deorſum ferebatur, id factum ſit leve & ſurſum tēdat? Quæ poteſt eſſe hæc conſequentia? Cúm Sagæ pactū cum Diabolo ineunt, animæ illarum

larum ex justis fiunt injustæ, ex piis impiæ, ex virtute præditis vitiosæ. Ergo & ex corporibus illarum gravibus, quæ deorsum ferebantur, fiunt levia, quæ sursum tendunt? Quæ potest animæ & corporis, rerum valde disparatarũ, in qualitatibus magnoperé disparatis esse cognatio, quæ concomitantiæ (Philosophorum vocabulo mihi uti liceat) sive ἑπομένης qualitatum mutationis ratio? Perinde quasi sic aliquis argumẽtari velit: Anima Socratis, quæ variis erat imbuta scientiis, nunc ignorantiæ tenebris est immersa. Ergo & corpus illius, quod erat agile, factum est crassum. Ridebretur.certé ita argumentans, ac sibilis exploderetur. Ridebitur igitur & sic ratiocinans: per pactum cum Diabolo animi Sagarum, pulcerrima DEI imagine & virtutum dotibus abjectis, assumunt larvam Satanæ ac vitiorum sordes. Ergo & corpora Sagarum abjecta gravitate, assumunt levitatem. Si gravitas & levitas, Scriboni, essent adjũcta animi, sicut Ethici alioqui gravitatem ac levitatem accipere solent, procederet tuum argumentum. Jam veró gravitas & levitas non sunt adjuncta animi sed corporis. Magna igitur, Scriboni, in tuo Argumento est ἀσυλλογισία. Argumentum est, inquiunt, Logici, quod ad arguendum aliquid affectum est, sive quod per suam naturam

turam ita est aptum atque comparatum, ut possit rem explicare, vel probare, ad quam arguendam ādhibetur. Aliâs enim vel canticum cuculi auditur, vel error τῦ ἑπομένυ committitur. Jam veró mutatio qualitatũ animæ rationalis Sagarum non potest inferre aliquam mutationem qualitatũ corporis, sive inter alteratiōnē animi qualitatũ metaphysicā & alterationē corporis qualitatũ physicā nulla intercedit affectio. Ergo ut argumentũ ad arguendā alterationē corporũ Sagarũ, ut ex gravib. fierēt levia, alteratio animi metaphysica abs te, Scriboni, adhibita est, nō sine singulari excellētis illius opinionis, quā literatissimi quiq; cũ ob universā Philosophiā aliam, túm ꝓpter Logicā dete habent, diminutione, ut prorsus mihi persuadeam, cum illam tuam de Sagarũ natura physiologiā conscripsisti, á Saga te aliqua fuisse fascinatũ. Et iterum quam-plumbeus sis physiologus, Scriboni, hoc quoq; tuo argumēto prodis, quód ἀντιπάθειαν inter aquam & Sagas in caussa esse asseverare non dubitas, quamobrem ipsæ in aquas cōjectæ non submergantur. Scribis enim *in physiologia de Sagar. nat. pa. 121.* aquas ideó sagas intra suum alveum recipere nolle, quód aqua sacri baptismatis turpiter sint abusæ. At ἀντιπάθεια, Scriboni, quæ ἰδιοκρασία quædam est à specifica corporis compositi virtute

virtute profluens, formæ rei naturalis est ὁμόγονος. Sic Magnetis formæ statim cōjuncta est proprietas attrahendi ferrū. At hominis verò formæ hæc ἰδιοκρασία non est ὁμόγονος sive congenita. Ergo non potest esse aliqua ἀντιπάθεια inter Sagas & aquas. Quid? quod hæc ἀντιπάθεια, Scriboni, quam tu inter Sagas & aquas comminisceris, animum Sagarum respicit non corpus. Per pactum enim illud cum Diabolo nova qualitate imbuta fuit anima, corporis autem substantia & qualitates sartę tectę permanserunt. Deinde si ἀντιπάθεια hæc inter aquam & Sagas intercederet, Sagæ in aquas projectæ semper supernatarent, quoniam naturalis caussa vno eodémque modo semper agit, ἀντιπάθεια enim cū ab aliis naturæ speculatoribus, túm veró à tę ipso, Scriboni, in tua Physica ad naturales qualitates occultas refertur. Jam autem contrario exemplo doceri potest, Sagam aliquando quampiam jam tum propria confessione maleficii condemnatam, in profluentémque projectam non fuisse submersam. Scribit Doctor Godelmannus *in suo Tractatu de Magis, Venef. & Lam. libr. 3. cap. 5. numer. 35.* se in peregrinatione sua in Livoniam à quodam nobili vocatum, cúm postero die ignis supplicio deletum iri maleficam quandam, quam plurimorum eorúmque

rúmque enormium maleficorum convictam, intellexiſſet, interrogaſſe nobilem, num per frigidam ipſam examinandam curâſſet. Quod cúm factum eſſe nobilis negaſſet, petiiſſe ſe ab illo, periculum ut priús faceret, quám ad locum ſupplicii educeretur, ipſané occaſura eſſet an veró ſupernatatura. Quamobrem in aquas ipſam nobilis vinctam conſueto more projiciendam curavit. At Saga iſta tantum aberat ut ſupernataret, ut & ad fũdum uſq; ſubſideret.

Denique ridiculum, ſcribit Nicolaus Hemmingius Theologus præſtantiſſimus, *in admonitione ſua de ſuperſtitionibus magicis vitandis*, & ſuperſtitioſum judico novum illud inventum, quo fœmina ſuſpecta propter magiam imponitur in aquam, neſcio quomodo ligatis manibus & pedibus. Hic ſi non ſubmergitur, quæ erat ſuſpecta, ſcelus non elemento aquæ, ſed ignis expiandum colligunt. At ſi ſubmergitur, ut innocens dimittitur. Hoc inventum ut ſuperſtitioſum & ludibrium Satanæ prorſus damno, propter cauſſas in Decretis expoſitas *in c. Præſertim, conſuluiſti 2. q. 4.* cujus verba hæc ſunt: *Nam ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione, confeßionem extorqueri á quolibet ſacri non cenſent Canones. Et quod Sanctorum patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione præſumendum non eſt. Spontanea enim*

*confeßio-*

*confeßione, vel testium approbatione, publicata delicta punienda sunt: occulta veró & incognita illi sint relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.* Hactenus Hemmingii & Canonis verba. Et Egesippus inter Ecclesiasticos scriptores haud postremus de excidio Hierosolymitano *lib. 4. cap.18.* cúm Asphaltitis lacus qualitates describit, in facto haud prorsus absimili inter fabulosa recenset, ꝙ nonnulli ferunt, Vespasianũ præcepisse, natãdi ignaros revinctis manib. in ꝓfundũ istius lacus dejici, eósq; omnes ilicó supernatâsse, quasi Spiritu quodã venti levatos, & ad superiora vi magna repulsos resiliisse.

Non obstat porro, quód homicidium præsumatur, quo ad reum torquendum, commissum fuisse ab illo, quo præsente, ad cadaver, profluit sanguis interfecti hominis, quemadmodum volunt Boët: *q.166.numer. 1. cum seq.* J*acob Nov. in regul. 184. Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst. 89.* Inclinat in hanc sententiam *Mascard. de Probat. volum. 2. Conclus. 867. num. 24.* Ita enim illa quoque Sagarum per frigidam purgatio, non solúm ad carcerem sed etiam ad torturam sufficiens parere indicium videatur. Nam separata hæc primum sunt, ex quibus nihil recté inferri notũ est p *l. fin. ibiq; cõmuniter DD. ff. de calumniator:* Deinde ꝓpter incertũ sanguinis, in hujusmodi casib⁹ profluxionis rationẽ incertũ

quoque

quoque indicium illud esse apparet, ut propterea ad Exemplum trahi nequaquam debeat, quód in criminalibus luce meridiana clariores esse ꝓbationes oporteat per *text. in l. fi. C. de prob.* Túm indiciũ illud in jure incognitũ prorsus est, & multo minus aliqua illius ex jure concludens ratio in medium afferri potest. Ac, quod caput rei est, in *Carolina Constitutione* nulla illius mentio vel verbo injicitur. Quibus rationibus inductus, celeberrimus ille Jureconsultus Antonius Gomesius variarum resolutionum *Tom. 3. cap. 13. num. 15.* hoc indicium minimé usurpandum esse scribit, quem sequitur præstantissimus Hippolytus Marsilius *in Practica crimin. §. Diligenter. num. 181.* Accedit Godelm. *in Tract. de Mag. Venef. & Lam. lib. 3. cap. 5. num. 33.* Ex Theologis supra laudatus Nicolaus Hemmingius in dicta *admonitione de superstitionibus magicis vitandis* indicium illud tanquam superstitiosum ac contra ordinem divinum introductum hunc ad modum repudiat: *Quæritur præterea*, inquit, *de usitata exploratione, cúm perpetrati homicidii autor ignoratur, qua jubetur, qui suspectus est, manũ cadaveri mortui imponere. Hîc si vel ex vulnere accepto, vel ex ore, aut naribus cadaveris cruor manat, reus cõdemnatur, qui manũ apposuit. At si nõ effluit sanguis ad contactũ, tanq̃ innocẽs dimittitur. Ego sané optarẽ hanc exploratione vel omnino non fieri: Nã est et superstí-*

*perstitiosa & contra ordinem divinum: Vel fieri non serio, hoc est, non ut certum inde petatur, de facto argumentum, sed ut isto pacto eliciatur spontanea confessio. Sed quid dico? Res serias in timore DEI juxta ordinem divinum agi præstaret.*

*Hîc forté aliquis mihi objiciet sanguinem Abelis, clamantem vindictam de terra. Respondeo; Iste clamor nihil aliud fuit quám terribilis morsus conscientiæ in Caino propter fratricidium perpetratum. Talem clamorem audiunt in conscientia sua omnes homicidæ: Vel saltem in agone mortis audituri sunt.* Huc usque Hemmingius. Vide VVierum *lib.6.cap.8.* Ad extremum non obstat, quód contrariis consuetudinibus jus abrogetur. *l. De quibus. ibique DD. ff. de legib. &* §*.pen. instit. de Jur. natur.gent. & civil.* & inveterato multarum civitatum ac gentium usu hoc examen Sagarum per frigidam sit receptum. Sicut nec adversatur, quod Carolus V. Imperat.*in constit.crimin.Procem.in fin.* hac sua ordinatione de Electorum, Principũ & Statuũ Imperii cõsuetudinibus nihil detractũ diminutúmve se velle expressa protestationis clausula testatũ reliquerit. Nã consuetudines per quas jura abrogantur debent esse rationabiles. Quod enim nõ ratione introductũ, sed errore primũ, deinde consuetudine obtentũ est, in aliis similibus non obtinet *l.39.ff. de legib.* & consuetudo, quæ ratione caret, frustra allegatur, imó tanquam beluina

beluina ferocia detestanda & fugienda est. *c. veritate. distinct. 8. Lag. Meth. Jur. part. 1. cap. 5. n. 4. cap. fin. §. fin. de consuetudin. Gayl. lib. 2. observ. 31 numer. 11. Mynsig. Centur. 6. Observ. 41. num. 3.* Et Carol. V. Imper. *in d. Proem.* intelligit bona ratione, introductas & æquitati consentaneas consuetudines **Wolhergeprachte rechtmässige vnnd billiche Gebreuche.** Hæc autem examinis per frigidam consuetudo planè est irrationabilis, quippe quæ tùm juri divino túm humano eíq; tam Canonico quã Civili ex diametro adversetur. Juri divino quidẽ, quód & superstitiosa sit & cum impia divini numinis tentatione conjuncta. Adversus jus divinum autem nulla consuetudo valet, quod eleganter explicat & declarat Panorm: *in d. c. fin. numero 2. & 3. de consued. Bald. in l. 2. C. de usur. VVesenbec. in Parat. ff. de legib. num. 9.* Cúm igitur peccatum inducat, juri Canonico repugnat, & quia probationes clarissimæ in criminalibus requiruntur, sicut antea ostendi, planum inde fit, Juri quoque civili istam contrariam esse consuetudinem.

Ex quibus omnibus manifestum evadit, magno illos in errore versari, qui examen per frigidam usurpant, mordicúsque tenent, & pro eo non aliter ac pro aris & focis propugnant. In cujus refutatione lõgior haud ero, quód & Evvichius & Neu-

 vvaldus,

vvaldus, & Ignotus patronus veritatis & Godelmannus *d. cap. 5. lib. 3. de Mag. Venif. & Lam.* viri omni eruditionis laude superiores, & Rodolphus Goclenius Philosophus incomparabilis, Mathematum & Logicæ in Academia Marpurgensi Professor longé celeberrimus, præceptórque mihi carissimus, examen illud jampridem doctissimé refutârint.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS QUINTÆ.

*Num diffamatio & confeßio maleficorum, quâ socios alios produnt, si iustis requisitis destituantur, & subsecuta inde per frigidam purgatio, sufficiens ad torturam indicium pariant, & quid de confeßionibus hinc in eculeo extortis sit sentiendum.*

HInc iterum promtum fuerit judicare, diffamationem sicut & confessionem maleficorũ, quâ socios alios nominant, justis requisitis destitutam, & subsecutã purgationem per frigidam, nullum ad torturã de jure sufficiens indicium parere, proindéq; si eculeo subjecti ii, qui maleficii fuerũt insimulati, nullis aliis ad gravẽ quæstionẽ indiciis præcedentibus, confiteantur, confessiones ibi factas nihil ꝓbare, & esse nullas, nec confessum ex iis posse condẽnari, ꝙ confessio facta per torturã nullis præcedentibus indiciis nihil probet & sit nulla, nec ea ex cõfessione aliqs possit cõdẽnari.

ri.

ri. *Hippol. de Marsil. cons. 29. n. 2. n. 28. Alex. cons. 5. n. 1. vol. 2. Matth. ab Afflict. in Cōstit. Neapol. incip. Si dāna clādestina n. 43.* Quod etiā verū est, ut maximé cōfessi⁹ in tortura in cōfessiōe ista pseveret. *Guid. á Suz. in Trac. de indi. et tort. n. 70. mot⁹ auctoritate Imperat. Alex. in l. 2. & 3. & Gordiā. in l. 4. C. si ex fals. instrū.* Ratio est, quia â tormētis non est incipiendū, quēadmodum respondet Ulpian⁹ *in l. 1. ff. de qst.* & cōstituit Imperator Antonin. *in l. Cum cognitionaliter* & Impp. Dioclet. & Maximinian. *in l. Milites. C. de quæst.*

Et si secus fiet, quicquid ex inde sequitur, ipso jure non valet *l. Non dubium. C. de Legib. l. 1. C. de fid. Instrum. & jur. hast. fiscal. lib. 10. & l. Divus. ff. de integr. restitut. l. Nominationes. C. de Appellat. Ludovic. Bologn. in addit. ad Guid. in Tract. de indic. & tortur. n. 70. Aret. in tract. malefic. in 8. col. verb. famá publica præcedente in verbo Advertens tamen. Joseph Masc. cum quam-plurimis aliis adductis de prob. vol. 1. conclus. 353. n. 1. 2. & 4. Carol. V. Imperat. in constit. crimin. t 20.* Daß ohne redliche Anzeigung niemand soll Peinlich gefragt werdē. (*latine sic. Quod sine legitimis caussis gravis qstio nemini adhiberi debeat.*) Sicut nec cōfessio illa pbat, quādo Judex alicui torturā interminatus est. Nā tūc licet re ipsa tortus nō sit, si tamē ex tali metu cōfessus fuerit, hujusmodi cōfessio, nō pcedentibus legitimis indiciis, nihil probat ac opatur, nō secus ac si in tormētis revera facta fuisset confessio. *Hippol. de*

*Marsil. d.consi.29.numer.29.* Nam æquiparantur confessio metu tormentorum & confessio per torturam. *Bald.in l.Interpositas. C. de transact. & Alexand. in d.l. 1.§. Divus. ff. de quæst. per text.in l.1.§. Divus severus.ff. de quæst.& l. Metum. C.Quod met.caus. Mascard. d. conclus. 353. n. 14.* Et quamvis millies in judicio reus hanc confessionem ratam habuerit, cõfessio tamen ista ei nõ nocet, nec ex ea potest cõdemnari. *gloss.singular. in l. penult. & ibi Bart. ff de quæstion. Angel. in l.1.C.de confess.* Quam communem esse opinionem refert Alex. *in l. Qui in aliena. §. in ult. in fin. de acquir. hæred. & idem Alex.consi.5.lib.1.consi.179.lib.2.consi.1.lib.3. & consi.93.lib.1.aliique quos adducit Mynsing. Centur. 5.observ.23.num.2.* ubi Mynsingerus diligenter nostro hæc tempore observanda esse scribit adversus Magistratus illos imperitos ac ineptos, qui sine pręcedentibus justis indiciis contra captivos quandóq; statim ad torturam properant, & si reus extra torturam ratificet id, quod metu tormentorum confessus antea fuit, mox eum condemnant, imó per supra dicta tales Judices puniendi sunt, cum innocentes damnare censeantur. Non obstat, quod Carrer. *in sua Pract.crimin. num.47. cum ibidẽ allegatis DD.* Judicem publicos latrones aliósque maleficos sine præcedentibus indiciis torquere posse, & confessionem per torturam extor-

tam

tam probare, iisque nocere, ſcribere veritus non fuit. Nam ea Carrer: ſententia nullo nititur fundamento, & per conſtitutionem criminalem Caroli V. Imperat. manifeſté reprobatur *fol. 6. 7.* Et quæ ſpeciatim indicia requirantur, ut torqueri poſſint malefici *in cap. 44.* Von Zauberey genugſam anzeigung (*de Magia ſufficientibus indiciis, latiné loquendo*) *peculiari* hiſce verbis *proviſione facta conſtituit.* Wann jemandt ſich erbeut/andere Menſchen Zauberey zulernen/ oder jemandt zubezaubern bedrawet/ vnnd dem bedraweten dergleichen geſchicht/auch ſonderliche gemeinſchafft mit Zauberern vnd Zauberinnen hat/ oder mit ſolchen verdächtlichen Dingen/ Gebärden/ Worten vnnd Weſen vmbgehet/ die Zauberey auff ſich tragen/vnd dieſelbige Perſon deſſelbigen ſonſt auch berüchtiget/daß gibt eine redliche anzeihung der Zauberey vnd genugſam Vrſach zu peinlicher Frage. Latiné ſic. *Cúm aliquis maleficium docere alterum conatur, vel veneficio ipſum lædere interminatur, atque illi, cui interminatus eſt, tale quid accidit, & familiariter admodum cum maleficis verſatur, & tum ſuperſtitioſis geſtibus & verbis, tum aliis rebus, quæ ſuperſtitionem maleficii concitare ſolet, addictus eſt, eáque inſuper de re diffamatus, id ſufficiens maleficii indicium parit, & juſtam torturæ materiem ſuppeditat.* Cúm autem neq; generale aliquod ad torturam indicium, neq; ſpeciale, quod

hujus delicti proprium est, in consulente nostra matrona appareat, quippe quæ non modó veneficia ipsa, sed & veneficos capitali semper odio prosecuta sit, nullámque cum iis amicitiam familiaritatémve coluerit, nisi forté ex ignorantia id factum sit, neque eo de delicto unquam fuerit diffamata (provocamus ad Testimonia omnium bonorum integræque existimationis civium illius oppidi, in quo adversus Sagas jam acriter proceditur) & supra insuper nos demonstraverimus, ea, quæ allata sunt adversus ipsam indicia, ne ad inquisitionem quidum adversus illam instituendam aliquid virium habere, quis non intelligit, multo minus aliquid contra eam, quoad gravem quæstionem, de jure attentari posse.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS SEXTÆ.

*Quando fuga faciat indicium ad inquisitionem & ad torturam.*

Sed videamus nunc, an fuga ipsi noceat. Et primó quidem ipsam sibi fugâ magnam sceleris suspicionem attraxisse, suísque veluti jumentis malum accersivisse affirmandum videtur, quod fuga feré semper contra fugiẽtem sit indicium, patrati criminis, illúmq; in suspicionem sceleris adducat. §.

Igitur

*Igitur ne latente eo. Authent. de exhib. & introduc. reis.l.Raptores.versi. Sin autem. C. de Episc. & cleric. l.in eos.ff.de custod.reor.l. Impuberibus.§. Praterea.ff.de suspec.tutor.*Idq;autoritate sua omnes posteriores legũ interpretes, nemine excepto,affirmâsse scribit *Joseph.Masca.de prob.vol. 2. conclus.819.numero 1.Bart.in l. Quis sit fugitivus. §.sicuti.ff.de adil.edict. Bart. tum in profitendo tum in consulendo ita sensit in l. Voluntatis. C. de fideicommiss.& in consi.250.in quastione D.Milani n.3. vol.1.*& quis enumeret omnes?quos magno numero adducit *Masca. d. loco.*Fuga namque accusat fugientem, §.*Si veró.in Authent. de exhibi.re.§.Si quis autem ad ordinationem Authent. de sanctiss. Episc. Blanc. in Tract. de indic. in verbo fuga. numer. 291. versic. Quia fuga. Francisc. Cass. in Tract.malesic.cap.4.tit.de fuga.in verb.Proptam solam num. 1. versic. alii autem ea senserunt.* Et quod magis est, fuga non solúm facit simplex indicium contra fugientem, verúm etiam efficax est ad subjiciendum reum tormentis, per supr. alle. *jur. Bald. in l. Cum probatio.ff.de probat.& in l. voluntatis. num. 11. C. de fideicommiss.Jacob de Beluis. in rubr. de quastion. post num. 1.versi.& quia fuga talis Mascard. d. conclus.819.num.4.*

Verúm his mininé obstantibus, dicendum est,traditam conclusionem ita limitari,quód non habeat locũ, quando quis aufugit ex aliqua probabili, vel rationi cõsen-

tanea caussa. Tunc enim fuga ne aliquod quidem indicium contra fugientem facit. *Bald. in l. Bonæ fidei. numer. 7. vers. Modo sequitur C. de reb. cred. & jurejur.* ubi notabile affert Exemplum de his, qui aufugiunt propter factiones, in quos si homicidii culpa conferatur, non præsumatur contra eos, cúm nõ sit totus iis ad urbem accessus. *Clem. pastor. de re judic. c. statutum. §. 1. de rescript. lib. 6.* Prolixé *Mascard. d. conclus. 819. numer. 11.* Et quamvis distinguatur, quod fuga tantum faciat indicium ad torturam, quæ fit ante inquisitionem, vel accusationem delinquentis, ea enim veré conscientiam delicti perpetrati arguit, non autem ea fuga, cui aliquis sese jam tum inquisitus vel accusatus mandavit, quia ea potius ex metu vexationis, quám ex conscientia delicti facta esse præsumitur. *Bart. in l. 1. ff. de bon. eor. qui mort. sibi cõsciv. Bart. & Angel. in l. fin. ff. de quæst. Roman. in l. Cornelia. ff. ad S. C. Sillan. Matth. consil. 146. Dec. consi. 214. in effectu col. 1. Hippol. in rubr. C. de probat. col. 47. versi. alio modo. Mascard. d. conclus. 819. numer. 15. & num. 13. Mynsing. cent. 6. observat. 98. numer. 2.* Sola tamen fuga non facit indiciũ etiam eo casu, cúm accusatio vel inquisitio nõdum est instituta, dum modó justus subsit timor, vel suspicio vehemens futuræ accusationis vel inquisitionis. Nemo enim periculo sese exponere, suámque ex carce-

re

re innocentiam probare tenetur. *Roman. in d.l.Lege Cornelia.Boër.decis.215.num.29.DD.communiter in l. Admonendi. ff.de jurejur. Hippol. ad rub.C.de prob.num. 279. Mascard. d. conclus. 819. num.16.Gayl.lib.2.Pract.observat.109.numer.8.& seq.* Cúm autem ex metu carceris, qui justissimus est. *l. Qui in carcerem.22.ff. quod met. caus.* futuræque asperæ inquisitionis, qui metus itidem justa fugæ caussa reputatur per modó allegata jura, & ne liberis suis dolorem aliquem inureret, quod parentes de cruciatu liberorum magis, quám de suo sint solliciti. *l.Isti quidem.§.fin.ff.quod met.caus.* consulens nostra matrona fugam arripuerit, neque ad inquisitionem neque ad torturam ullum ea fuga indicium facit.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS SEPTIMÆ.

*Quâ pœna Sagæ, sint afficiendæ, & an propter solum pactum, quod cum Diabolo inierunt, ignis supplicio tolli, ex rerúmq; universitate infra mortuos omnes amandari debeant.*

AD extremum in disquisitionem cadit, an Sagæ propter solum pactum cum Diabolo initum, sint ordinaria maleficii pœna afficiendæ. Cujus quæstionis decisio petenda est ex constitutione criminali Carolina, *cap.109.* ubi ita distinguit Imperator. So jemandt den Leuten durch Zauberey / Schaden oder

Nachtheil zufüget / Soll mā in straffen vom Leben zum Tode / Unnd man sol solche straffe mit dem Feuwer thun. Wo aber jemandt Zauberey gebraucht / vnd darmit niemandt Schaden gethan hette / soll sonst gestrafft werden nach gelegenheit der Sachen / darinnen die Urtheyler Rahts gebrauchen sollen / wie vom Raht suchen hernach geschrieben stehet. (*latiné sic: Quod si aliquis hominibus per incantationes damnum intulerit, incendii supplicio é medio tollendus est. Si veró aliquis magiâ sit usus, sed tamen nemini damnum dederit, is pro re nata & de consilio Jurisperitorum, quos Judices consulent punietur.*)

Hinc eas tantúm Sagas, quæ damnum intulerunt, ignis supplicio delendas esse constat. Et ad damnum quidem quod attinet, aliáque quæ confitentur Sagæ, non est simpliciter confessioni illarum innitendum.

Aut enim confitentur ea, quæ sunt possibilia, per Magiámque perfici possunt. aut confitentur ea, quæ sunt tum natura tum facto ἀδύνατα sive impossibilia, veluti cum cōfitentur, se scopis insidentes, & per Caminum subvolantes interfuisse congressibus solennibus, sicut supra â nobis ostēsum est, cum item in feles, canes & lupos Venefici

fici se mutatos esse confitentur, hanc enim mutationem ne ipse quidem Satanas perficere valet, ut maximé eam ad rem omne suum studium, operam ac facultatem conferat. Æternum namque ac immotum axioma est, quód Diabolus formas rerum essentiales mutare neutiquam possit. Quód autem Joannes Bodinus celeberrimus ille Galliæ & Jureconsultus & Historicus *lib.2. de Dæmonomania cap.6.* aliiq; magnæ alioquin ob eruditionem plané incredibilem autoritatis viri περὶ τῶν λυκανθρώπων sive de lycanthropis sermocinantur, id omne magorũ vel aliorum etiam hominum phantasiæ malæ affectæ acceptum referendum est, cũ in lupos sese transformatos esse imaginantes per Sylvas vagantur, & ab hominibus alienam, sectantur vitam. *Vide Joannem VVierum de præstigiis Dæmonum. lib.3. cap.8. & lib.4. c.14. & lib.6. cap.16.* Facit huc, quod Jus canonicum *in c. Episcopi 26. quæst. 6.* Ethnicis fide longé inferiores esse eos statuit, qui creaturam aliquam in aliam substantiam ab ullo alio nisi à solo DEO Creatore mutari posse existimant. Imó quicunque diversis aliisque mutationibus fidem adhibet, eum à vera fide destitutum ac desertum & Satanæ mancipium esse factum Canon diserté pronũciat. Vide prolixé *Godelmann. lib.2. de Mag. Venef. & Lam. cap.3.*

Ad τὰ ἀδύνατα quoque sive impossibilia & illud referendum est, cúm venefici sagęq; confitentur, Diabolos stupri secum habuisse consuetudinē, eorūq; alios esse incubos alios succubos, atq; ex illo coitu liberos quandóq; proseminari. At veró cū Diaboli sint spiritus, ecquánam ratione corporali carnis copula cum magis iisque vel masculis vel fœminis miscebuntur? Et ne tale quippiam iis, quæ assumunt, corporibus assignes, coëundi illa & generandi facultate destitui certum est. Quicquid enim generat, illud etiam nutritur; vegetativæ namque facultatis species quędam est ἡ γεννητικὴ δύναμις sive generandi facultas. Atqui non nutriuntur corpora illa assumpta: Nutritio enim, teste Aristotele lib. 2. de anima, est conversio nutrimenti in substantiam corporis animati, quæ fit beneficio nativi caloris. At talis Spiritus calórve vitalis non potest esse in corporibus illis ascititiis. Deficiente igitur nutritione deficit & generatio. Et generatio fit per semen, quod est utile nutrimenti περίττωμα; non nutriuntur ista corpora. Deest igitur & nutrimenti περίττωμα semen. Et Spiritus vitalis oportet ut sit in semine, ex quo proseminatur corpus aliquod: in corporibus autē illis advētitiis sive aliunde assumptis non est talis aliquis Spiritus. Non igitur facultatem aliquam

quam generandi habebunt. Ac ne ullus dubitationi locus relinquatur, ſemẽ illud, quod aliunde excipere Diabolos objicias, emortuum eſt & ſpiritu vitali deſtitutum. Idcirco ad generationem non eſt idoneum. Neque eſt, quod Sagas confiteri objicias, liberos ex tali coitu proſeminatos eſſe. An non enim Satanas ita faſcinare poteſt, & cogitationem & phantaſiam Sagarũ, quas ſibi quam addictiſſimas habet, ut exiſtiment adeſſe ſibi virum, ut credant ſe uterum ferre, ut omnes gravidæ cujuſdam mulieris affectiones percipiant, & cúm tempus partus inſtat, dolores puerperii ſentiant, perſuasúmque ſibi penitus habeant, ſe fœtum ex corpore ſuo proſeminatum in lucem edere, cúm tamen Satanas alienum iis partum fraudulenter mira celeritate miriſque præſtigiis ſupponat? Ante enim quám ſacra baptiſmatis aqua infantes lavantur, ſunt qui in poteſtate Diaboli eos eſſe affirment, propterea quód ſordes eorum ſanguine CHRISTI ſacroſancti lavacri interventu nondum ſint ablutæ, ideóque ſtatuant, Satanam parentibus eos ſuis ademtos Sagis miniſtris ſibi devotiſſimis ſupponere poſſe. Itaque quicquid de Diabolorum cum Sagis congreſſu alii acriter defendunt, id faſcinationibus Diabolicis imputandum eſſe arbitror. Qua de

de re & Petrum Martyrem & Andream Hyperiũ post hominũ memoriã Theologos & Philosophos præstantissimos hisce verbis huncad modũ disserẽtes audiamus.

Petrus Martyr *in commentariis in 1. lib. Samuel. c. 28. pag. 168. Sagæ mulieres & viri malefici,* inquit, *solebant se perungere unguento aliquo soporifero, deinde conjicere in lectum, ubi ita profunde dormiebant, ut ne aciculis nec ignibus possent expergefieri. Interim Diaboli illis ita dormiẽtibus multa proponebant ludicra, convivia, choreas,* ET OMNE GENUS VOLUPTATUM.

Hyper. *Method. Theolog. lib. 2. pag. 304. & 305.* hisce propositionibus suam sententiã nobis explicat. *cum primó,* inquit, *concedi illud potest, quód Diabolus, cui datum est sensus nostros ita ludificare, ut putemus nos videre, quæ tamen nõ subsistunt, & audire, quæ revera non sonant (manifestũ id est in falsis miraculis, in fascino &c.) efficere q̃at, ut mulier existimet adesse sibi virũ, aut viro mulierẽ: nec minorẽ tũc percipiat voluntatẽ, quám si res ita prorsus haberet, cum tamen nihil hujusmodi existat. Studet namq; & gaudet Diabolus omnibus sensibus tam dormientium quám vigilantium quacunq; ratione imponere.*

*Secundó, etsi veró corpora assumant Dæmones sensibus undiq; exposita, ut nimirum cerni, tangi, contrectariq; queant, at semen illa emittere et generandi habere potestatẽ, non est vero cõsentaneum, maxi-*

mé

mé cũ facultas gignendi non tantũ à ſpiritu vitali in corde potiſsimum proveniat, qui ſpiritus nequaquam ejuſmodi corporibus ad tempus aſſumptis ineſt. Qua de re plenius Phyſici & Medici.

Tertió, omnium veró minimé conſtituetur, quód ex Spiritu creato, cujuſmodi eſt Diabolus, & homine generatio perfecta queat conſequi: Siquidẽ longé diverſiſsima in illis ſpiritibus & in hominibus ſpectatur natura, quod collatione diligẽti facta unuſquiſq; deprehendet. Solus Chriſtus ex Spiritu & muliere (Spiritu autẽ non creato ſed increato, id eſt, Spiritu S. qui diſtincta eſt in divinitate pſona) agnoſcitur genitus.

Quartó, reſtat ergo, ut ſi quando puerum opera Dæmonis incubi (quemadmodum loquuntur) naſci ex muliere contigerit (nam ex ſuccubo naſci Aegyptii & plæriq; omnes negant) judicemus, mulieris ſenſus omnes ſic aſtu Diaboli perſtringi, ut tẽporis intervallo omnia gravidarũ ſigna, hoc eſt dolores, tumor uteri, et id genus alia in ipſa appareant. Ubi veró partus hora inſtiterit, iterũ falli ſenſus, ut fœtus aliquis pdire exiſtimetur, ubi tamen nullus eſt, aut ſi modó verus conſpiciatur, aliunde eſſe ſublatũ, atq; opera Diaboli ſupponi. Nam quód aliqui ſuſpicantur, Diabolum ſemẽ alibi vel ſuccubũ prius á viro quopiã excipere, vel, quod aliquis ſponte ejecerit, ſuffurari (quemadmodũ notat Epiphanius ſcribens contra 63. hæreſin, quæ eſt Origeniſtarũ) non poteſt propter ea, quæ propoſitione ſecunda dicta ſunt, conſiſtere. Illud autem de alieno partu fraudulẽter ſuppoſito, ex eo volunt eſſe probabile, quód extra controverſiã eſt, recẽs natos parvulos

antequam

*antequam ex aqua & Spiritu renascantur, in potestate Diaboli existere, quemadmodum Apostolus ad Ephes. 2. subindicat, dicens, nos natura esse filios iræ, & principi tenebrarum devotos, eámque ob caussam esse in Ecclesias introductam consuetudinem (testibus Augustino de Symbolo, lib. 1. & Gregorio Homilia 29. quorum verba adscripta legimus de consecratione. distin. 4. can. Sicut noctis & can. Sacerdotes) quâ pueri, antequam sacra tinguntur aqua, exorcizantur, malúsque spiritus ab illis depellitur. Itaque Diaboli talibus pueris, in quos jus aliquod habent, quo ad Dominus permittit, ad flagitia peragenda decipiendósque homines creduntur abuti. Hæc ut probabilia dicta sunto, quandoquidem scripturarum præsidio hac in caussa destituimur.* Atque ista quidem Hyperius. Vide eleganter VVierum *lib. 3. cap. 12. 13. 14. 15. 16. & 17.* Ad hanc impossibilium classem ea quoque referenda est opinio, quâ vulgó persuasum est, Sagas posse tempestates veluti grandines, pluvias & tonitrua ciere. Verissima hæc est sacrarúmque literarum autoritate comprobata sententia, quód solus DEUS omnium tempestatum sit caussa efficiens procreans: vapores enim & exhalationes, quæ ex terræ visceribus sursum in mediam aëris regionem ascendunt, principii passivi sive materiæ rationem obtinent. Et hæ tempestates nobis â DEO OPT. MAX. immittuntur túm ad punienda quotidiana eaque varia peccata

cata nostra, tum ad probandam nostram in calamitatibus perseverātiam. Sic Exodi *cap. 9. versi. 22.* dixit Dominus ad Moysen: *Extende manum tuam ad cœlum, & erit grando in omni terra Ægypti. Et extendit Moses virgam suam ad cœlum, & Dominus dedit tonitruum & grandinem, et ambulavit ignis super terram Ægypti. versi. 23.* quæ Pagnini versio est. Sic Hagg. *2. cap. versi. 18.* ait Dominus. *Percussi vos ariditate, & rubigine, & grandine, omne opus manuum vestrarum, non fuit; qui converteret vos ad me.* Ergoné, *inquies,* Satanas nullas valet excitare tempestates? Sané absque permissu Dei cúm nihil omnino perficere possit. *1. Reg. cap. 2. Luc. 22. cap.* tum veró nec hoc ipsum. Quód si veró DEUS justissimo suo judicio id Diabolo permittat, potest is aërem, cujus princeps dicitur in Scriptura, horrēdum in modum commovere, ac tempestates excitare, sicut videre est ex Job. *1. & 2. cap.* Joann. Brent. *in pulcerrima sua concione germanica, Anno 1565.* in lucē edita de tonitru, gradine & aliis tempestatibus, egregié hanc materiā persequitur. Idémque facit Jacob: Heerbrandus *in Concione quadam germanica de fulmine, Tubingæ Anno 80. excusa, pag. 4. 5. & 6.* Quæ autem caussæ sint, quamobrem divina Majestas Satanæ tantum permittat, præter Augustinum *de Trinitate lib. 3. cap. 6. de Genesi contra Manichæos lib. 2. cap 28. de Genesi ad literam lib. 11. cap. 22.*

*& Chrysost. de provid.* DEI, doctissimé tractat Hyperius *lib. 2. Method. Theolog. in quæst. Utrum possint Diaboli nocere sua potestate, quibus, & quomodo & quando velint.*

Ad Sagas autem nostras ut redeamus eæ commovere tempestates nullis possunt incantationibus, sed Diabolus cũ vel ad exequẽdum DEI mandatum, cujus veluti carnifex quidam est, tempestates excitare jubetur, vel ex astrorum intuitu & elementari ad tempestates bené affecta materia deprehendit, pluvias, grandinem, & tonitrua mox consecutura, jubet Sagas, quibusdam verborum formulis solenniter enunciatis, urinam suam, ad certum aliquem diem, in scrobem effossam infundere, vel alias nonnullas superstitionis plenissimas usurpare ceremonias. Quo facto sequuntur pluviæ, non vi incantationum magicarũ, sed quód aliâs ex Physica necessitate, Deóque sic volente, tempestates eo die ingruerent. *Brent. & Heerbrand. dd. loc.*

Nec moror, si objicias, de iis, quæ non sunt aut fieri non possunt, frustra leges sanciri, túm quód non entis nullæ sint qualitates, túm quód impossibilium nulla sit obligatio. *l. Generaliter. ff. de verb. oblig.* Leges autẽ homines vinciant sive obligent. *l. 9. C. de legib.* Et non nisi delinquentibus pœnas irrorogari. *l. Crimen paternum, ff. de pœn. & l. Sancimus.*

*nimus. ibique DD. C. eod. ti.* De magis autem, qui magicis artibus usi elementa turbent, pœnam constitutam esse. Nam feralis ut eos pestis absumat, constituit Imperator Constantinus *in l. 6. C. de malefic. & Mathemat.* Ad quam sententiam accedit Imperator Constantinus *in l. 4. C. eod. tit. Et in Legib. XII. tabularum* cautum est, ne quis fructus alienos excantâssit.

Quid enim absurditatis committemus, si dicamus, Imperatores illos in eadē fuisse absurditate, in qua hodie multi impliciti tenentur? Et doctissimus Godelmannus *lib. 2. de Mag. Venef. & Lam. cap. 6. num. 16. d. l. 4. C. de Malef. & Mathem.* ab Imperatore Leone *in Novell. 65.* sublatam abrogatámque esse scribit.

Neq; illa Nasonis carmina *lib. 7. Metamorph.* de percelebri illa venefica Medea, quæ hūc ad modum se jactitat, sententiæ nostrę possunt officere.

*--Cum volui* (canit) *ripis mirantibus amnes,*
*In fontes rediere suos, concussaque sisto,*
*Stantia concutio, cantu freta, nubila pello,*
*Nubilaque induco: ventos abigóque vocóque.*
*Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,*
*Vivaque saxa, suâ convulsaque robora terrâ.*
*Et sylvas moveo, jubeóque tremiscere montes,*
*Et mugire solum, manésque exire sepulcris:*
*Te quoque Luna traho.*

Nam Medea Venefica canit hæc ex eadē persuasione, quâ aliæ Sagæ fascinatæ sunt à Diabolo atque imbutæ. Hæc igitut Poëtæ carmina intelligēda sunt non καθ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν Medeæ, in cujus animo persuasio ista altas radices egerat. Aç ego quidem Medeæ thrasonicé glorianti oppono Psalmum Dauidis vigesimum nonū, in quo Psaltes divni numinis afflatu perculsus á potentia ciēdi tempestates DEUM OPT. MAX. veluti verissimum autorē magnificé cōmendat, & per me carmine Heroico has ipsius in laudes erumpens canit:

*Vos ô magnifico Regum de semine nati*
*Æterno superûm Regi præconia laudis*
*Dicite, & illius nomen super astra levate,*
*Quo decet applausu, ac, curvato poplite, vultus*
*Ante ejus, prostrati humiles, sacraria cultu*
*Concelebrate novo, & sacra ferte precésque Jehovæ.*
*Hic, hic, est, mediis cujus vox detonat vndis,*
*Hic est ille DEUS summo qui fulmen ab axe*
*Dejiciens, imas undarum scindit abyssos.*
*Illius est vox magnifica, & robusta, poténsque,*
*Robore quæ Libani cedros & robora frangit,*
*Nec secus hæc evulsa facit saltare, juvenci*
*Exiliunt stabulis ut missi in jugera campi.*
*Vox hæc ignivomum fulgur jaculatur ab astris,*
*Vox facit hæc desertum alto reboare fragore,*

Quod

*Quo percussa Arabum tesqua hirta micantque*
*tremuntque.*
*Vox facit hæc gravidæ ut cervæ sua pōdera ponāt,*
*Et facit, ut nudata comis stet populus alta,*
*Interea pia turba canit pœana Tonanti.*
*Magna hinc congeries vastarū exundat aquarū,*
*Sed circumducto* DEUS *has in littore frenat:*
*Altitonantis in æternum stant regna Jehovæ,*
*Unde suo populo cunctos benedicit in annos*
*Divitiisque pios & pacis robore firmat.*

Tace igitur, Medea, & sile, nec verbum deinceps fac ullum, de magnifica illa tua, si Diis placet, potentia. Silete vos magi, & quicúnq; ab illorum partibus statis, ac potentiam iis aliquam per ampullas verborū, & sesquipedalia verba, ut cúm Poëta loquar, asserere conamini.

Sed pluribus hæc non persequar, quód Adversarii â Godelmano *in lib. 3. de Mag. Venef. & Lam. cap.* 5. satis prolixé & nervosé sint refutati. Adde VVierum *lib. 3. cap. 11.*

Cúm igitur ea, quæ hactenus á me deducta sunt, nulla omnino arte magica, quantacúnque etiam illa sit, perfici queant, confessio illorum confitētibus Sagis nihil quicquam officere debet. Impossibilium enim confessio nihil operatur per supra allegata jura & per *l. 13. & 14. Verb. In totum autem confessiones ita ratæ sunt, sit id, quod in confessionem venit, & jus & natura recipere potest, ff.*

*de interrog. in jur. faciend.* Vid. *Godelman. lib. 3. cap. 7. nume. 28. & d. lib. 3. cap. 11. num. 32.* Quód si veró Sagæ talia confiteantur damna, qualia hominibus per artes magicas ac incantationes suas infligere potuerunt, ignium exustionibus delendæ sunt, *d. Const. Carol. cap. 109.* Variis enim artibus instruuntur â Diabolo, ut hominibus nocere queant. Sic herbis venenatis, veneno arte confecto, metallicis rebus, quæ omnia naturali quadam nocendi vi prædita sunt, uti consueverunt. Quibus accedunt arte parata, quæ Satanas iis dictitat, veluti quæ ex pilis, sanguine, id genus aliis rebus Sagæ præparant, de quo vide Benedictum Aretium *in Problē: 176. pag. (mihi) 592.*

Porró additur in dicta Cōstitutione Carolina si nullum hominibus damnum Magi importârint, de pœna iis irroganda Jurisperitos consulendos esse. Quod igitur ad solum pactum cum Diabolo initum attinet, cúm pœna illius jure non sit definita, judicis arbitrio relinquitur *arg. l. 1. ff. de jur. delib.* Pœna autē arbitraria ad mortem extendi nequit. *l. 1. in versi. tempor. ff. de fur. balnear. l. 1. §. Expilatores. ff de effract. text. in c. inquisitionis in prin. cum ibi not. per gloss. & DD. ext. de accusat. Bald. in l. & si post tres in princ. lect. colum. 7. versic. Item facit ad aliam. ff. Si quis cautio. Cardin. in c. de caussis de offic. Delegat. Bald. in l. 1. C. Ne sin. juss.*

*princ. & idem Bald. in c.1. col.5. in princ. de pac. ten.* ubi dicit, quód judex vigore arbitrii non potest imponere pœnã publicationis bonorum. Ergo multo minus pœnã mortis, quæ major est. *Alex. in consi.5. col. fin. in 1. vol. & Card. in c. ex literis de const. Mar. part. 4. de ordi. judic. distin, c.1. num 45.* Unde constat nudum illud pactũ ignis supplicio aliáve pœna mortis puniri non oportere.

Verúm ego tamen in hoc casu cujúsque loci consuetudinem cum primis attendendam esse existimaverim.

Nec moveor eò, quod *in Exod. c.22. vers.18.* scriptum est: Maleficam mulierem non sines vivere. Vocabulum. n. MECHASCHEPHA mulierem maleficam denotat, non quód viros huic crimini obnoxios ab omni pœna immunes DEUS esse velit, sed quód fœmineus sexus propter innatam simplicitem Diaboli fraudibus ac technis magis sit expositus, eámque ob rem dolis illius facilius irretiri possit. Et septuaginta interpretes masculinum genus his verbis usurpant τὺς φαρμακὺς ὺκ ἐπιβιώσετε maleficos non sinite vivere. Nam per *mechaschepha* sive per τὺς φαρμακὺς intelligũtur ii, qui per sortilegia & artes magicas veneficia exercẽt ad perniciem hominum & pecudum, quos ignis supplicio mactari debere *Carolina* edicit *constitutio. Godelm. d. lib.3. c.11. num.6. & n.48.*

Ex his quæstionibus ordine discussis atque pertractatis quid non solúm de Processu oppidi N. verúm-etiam de universo feré Processu reliquo adversus Sagas rectè ad jurísq; præscriptum instituendo tenendum sentiendúmque sit, facilé intelligitur: adversus consulentem autem fœminã nostram ne minimum quidem ad inquisitionem apparere argumentum, ideóque citra insignem injuriam nihil adversus ipsam attentari posse, de Jure interrogatus, rectiús sentientium judicio salvo, respondet atque concludit

*Ottho Melander, Juris Utriúsq; Doctor.*



*Doct. Ott-*

Doct. Otthoni Melandro, S.

REsolutionem tuam Clariss. D. D. Melander, amice observāde, cum refutatione purgationis maleficarum per frigidā cū primis probo. Placent & res & elegantia ac perspicuitas λέξεως & logica methodus. Aliquando Illustrissimus Hassorū Princeps, semp augustæ memoriȩ, Gulielmus per Cancellariū suū mihi injunxit, ut in physicas, si quæ essent, causas supernatationis Sagarum inquirerē. Inde occasio mihi data est de hoc argumento orationem componendi publicéq; recitandi; quā cū intelligerem placere ampliss. virtutéque ornatissim. viris quibusdam meis amicis tuo tractatui erudito subjun gi, non repugnavi eis. Id ne molesté feras, quȩso. Vale.

4. Julii, Anni &c. 97. Rodolp. Goclèn



# ORATIO IN SOLENNI ACTU PROMOTIONIS UNDETRIGINTA *Magistrorum Anno æræ Christianæ* CIϽ. IϽ. LXXXIII. *19. Novemb. in celeberrima Cattorum Academia á* CLARISSIMO PHILOSOPHO M. RODOLPHO GOCLENIO *&c. recitata: in qua erudité simul & breviter quæstio de* NATURA SAGARUM *in purgatione & examinatione per* FRIGIDAM, *aquis innatantium, explicatur.*



NEmo est, Magnifice Domine Rector, amplissime D. Procancellarie, spectabllis D. Decane, clarissimi & ornatissimi omnium facultatum Doctores ac Professores, & tu pulcerrime juventutis flos ac studiosornm corona lectissima, nemo inquam est qui nesciat, sapiétissimos omnibus temporibus Nomothetas ac Rerumpublicarum conditores cives suos præmio laudis & honorú ornamentis ad studium virtutis incitare solitos, quippe qui hoc ipsum sine illis quasi nervis & tanquam stimulis ac calcaribus languescere in plerísque, adeóque torpescere viderent. Quare & apud divinum illú Platonem lex extat plané aurea: PROPOSI-

TIS

TIS VIRTUTIS præmiis cives ad virtutem hortator: vitii suppliciis à vitio revocato. Et quidem idem Philosophus graviter præcipit, honorũ διανομὴν Justitiæ omnino consentaneam esse debere. Hoc Platonis præceptum, illam Platonis legem, istud sapientum gubernatorum factum tamquam exemplum, ad se quoq; pertinere Patres Academici judicant, ut qui probé sciant, Academias esse Rerumpublicarũ quasi φυτευτήρια & seminaria: Hìc sané nisi impigré in spatio philosophico decurrẽtibus sua decora, sua brabea fuerint, ut & ipsi fructum laborum capiant, & alii pulcerrimis exemplis invitentur, quì quæso illæ (Scholas dico & Politias) beatæ atq; florentes esse poterunt? Quando ergo hi undetriginta honestissimi juvenes, q in medio ad ornatissima ista subsellia sistuntur, & maximos in Philosophia honores petunt, præclarũ industriæ & navatæ in studiis operę specimen, jam anté seorsim disputando & declamando, & nõ ita pridem cúm privatim respondendo, tum publicé in omniũ vestrûm venerando conspectu iterũ in palęstrã atq; harenã disputatoriam prodeundo, ediderũt: Nihil nunc restat, nisi ut petiti Magistrorum honores, velut diligentiæ auctoramentũ & virtutis eruditionisq; publicum testimonium, optimo ipsorum jure & merito iisdem solenni ve-

ni veterum ritu tribuantur, ideóque nunc ad ipsum legitimum promotionis actum paulatim accedatur. Sed quia majorum nostrorum instituto, antequam Candidatis Academici honores conferantur, Promoventi, cujus nunc partes mihi datæ, omnino aliquid præfandum: visum fuit hoc tempore de Sagis (hoc est mulieribus veneficis, quæ abjurato Deo & pietate, Diabolo manifesta stipulatione se dediderunt, ut ab eo per certa media scire faceréve doceantur, quę naturę vires excedunt) aliquid differere. Rogo autē majorem in modum omnes & singulos, ut si quid non satis ritè egero, veniam, pro sua humanitate, æquitate, cādore, dare velint, & benevolé interea, quæ dicuntur, attendere, & quæ aguntur alacerrimé spectare. Dabitur enim á nobis opera, ut totus hic actus, quám fieri potest, & celerrimé & planissimé percelebretur. Quanquam igitur alios aliam animadverti præfandi materiem sumere, & forté ipse jucundiorem etiam ἀκρόασιν meditari potuissem, nunc tamen mihi nonnullis rationibus adducto venit in mētem φυσιολογεῖν de natura Sagarum, quę aliquot inferioris Germaniæ locis per frigidā purgantur. Cúm enim judices conjecturis ac præsumptionibus, non quidem omnibus, sed satis magnis adversus eas destituuntur, am-

ambos pedes & manus reæ, hoc est, ad Magistratum delatæ, suspectæve alicujus mulieris colligantes, eam aquæ leniter imponunt, ac, si Saga fuerit, in fundo mergi non posse arbitrantur. Atque ajunt se experientiæ testimonio edoctos, omnes illas, quæ submersæ nõ fuerint, postea spontanea cõfessione se veneficii crimini obnoxias, veréque reas ac nocentes ostendisse.

Hinc adeo est, quód etsi in VVestphalia Magistratus Lemgoviensis Justitiæ observantissimus prudentiáque & consilii gravitate spectatissimus, ad damnandum Sagas media argumentáque, famam, confessionem, rem gestam in primis adhibet: δοκιμασίαν tamen per frigidam (cúm argumẽto πείρας quodammodo nitatur) non prorsus negligit. Quam enim fama urget, confessio prodit, rei gestæ veritas convincit, hanc rogo Lemgovienses adjudicant, ut qui optimé norint præsumptionem solam nõ efficere, ut in accusatione gravis delicti ad condemnationem procedatur. At interim, quia confessio nullis tormentis expugnari potest, etiamsi & fama & multa ἄμεσα etiam indicia probata sint, hoc remedium adhibent, ut Sagam fama & indiciis proditam in aquam frigidam, ut dixi, conjiciant, & inde, si aquæ innatarit, quæstionibus subjiciant. Ita illicó famam ob-

ortam

oi tam fœminæ per frigidam exploratæ sua ipsarum confessione stabiliunt, omniáque hactenus á sese perpetrata scelera in apricum lucémq; proferunt. Quæ quidē res cúm admodū mirifica videretur cuidā nostrati Philosopho doctrina & ingenio præstanti, edito octernione, quid Lemgoviæ uná cum densissima plurimorum hominū turba, quæ spectādi caussa cōfluxerat, viderit, cōmemorans, superiori, ait, Septembri tres veneficas morti adjudicatas, tres alias ceu socias & factionis suæ consortes Magistratui indicasse, ac primum has á Lictoribus cōprehensas, & carceribus mācipatas, túm ad explorandam rei veritatē ante portas urbis in aquas projectas, ut videretur, num submersum nécne ituræ essent. Nempe pedibus manibúsque ligatæ & vestibus prius exutæ hac ratione vinctæ fuerunt, ut dextri lateris manus sinistri pedis halluci, & vicissim sinistra manus dextro pedi arctissimé colligaretur, ut corpus ne minimum quidem commovere possent. A carnifice deinceps in flumen, & singulæ quirem ter, conjectæ instar trunci alicujus lignei innatarunt, ita ut nulla earum submergeretur: postea singulæ crimen constanter confessæ ignis flamma interemptæ fuerunt. Huic ergo spectaculo cúm interesset Philosophus ille, rei visæ tanquam

θαυματ-

θαύματ@ novitatem ad ſtuporem uſq; admiratus, ejuſmodi examinis cauſas probabiles ex intima Philoſophia petitas reddere epiſtola ad Lemgovienſes ſcripta eorundémq; typis informata conatus eſt. Eã mihi ab ampliſſimo Lemgovienſis Reipub. Cõſule Theodoro Cotmanno, quem honoris cauſſa nominare debeo, repræſentavit JOANNES Antrechtus Juris U. Doct. eximius, qui idẽ, cúm forté allatæ rationes ipſi, ut eſt judicio acerrimo & politiſſimo, non omnino probarentur, non ita pridẽ meam ſententiam efflagitavit potiſſimum de hoc problemate: Quid cauſſæ ſit, cur in examine ejuſmodi venificæ aquæ ſupernatent, innocẽtes veró ſubmergantur: Quamobrem facere nec potui nec debui, quin, facta cogitationum mearum ſumma, aliquid privatim reſponderem: quod cujuſmodi fuerit, nunc publicé ex hoc loco Scholaſticorum cauſſa recitabo, ſiquidem neque quæſtionem illam neque ejus enodationem á Scholis & commentationibus Phyſicis (in quibus ut diligenter verſer, munus officii efflagitat) alienam puto. Primúm itaq; quid mihi hic videatur vero-germanũ, ut maximé poſſum, perſpicué & ſtrictim exponam: nec enim vela orationi pandere, ornandorum inſolens illa multitudo patitur. Deinde, opinionem epiſtolæ illius

qua

quo loco & numero habeam, edisseram. Cúm enim ejus argumenta parvum alicubi in probando pondus habere mihi videantur, ei quì per omnia subscribere possis, sané non video: etsi alias propter egregiam eruditionem & studiorum quodammodo communionem auctorem colam & observem.

Principio igitur, ut é qualitatibus elementaribus dari possunt, caussæ horum eventuum; quód ut nonnulli commemorant, in Palæstina sit lacus ejusmodi, in quẽ siquis hominem vinctum aut jumentum dejecerit, in summa aqua fluctuet nec in aquam demergatur; quód siquis aquam admodum salsam admixto sale effecerit, in ea summa ova, etiamsi plena sint, nare possint; quód denique navigia pari rerũ, quę vehuntur, pondere in fluviis feré demergi soleant, in mari veró recté habeãt ac commodé ad navigationem, ut scribit Aristoteles, causam erudité referens ad molem aquæ salsæ amaræ seu marinæ crassiorẽ, cúm mare tantam vim habeat terrestris naturæ, ut feré luti naturam imitetur: Sic á natura præsertim simplici, causę aliquid emẽdicari posse videtur, nec ἀναιτιολόγητον est, quód striges potiús quám aliæ mulierculæ fundum aquæ nòn petere deprehenduntur.

Ex

Ea re ad præsens ἀπόῤῥημα discutiendum duo axiomata tanquam αἰτήματα assumere fas sit, Physicum unum; Metaphysicum, ut loqui nunc solemus, alterum. Illud quidem ejusmodi est, monumentis Plinianæ historiæ consignatum; Ut levia inhibētur ponderibus, quo minús evolent: Ita gravia, ne ruant, suspenduntur levibus in sublime tendentibus.

Hinc sané est, quód uter in aquam demissus, etsi ponderosum corpus sibi annexum habet, mergi nequit. Hinc adeó est, quód, si â Theologica causa, quæ á nutu & omnipotentia verbi DOMINI recté sumitur, discessero, terra corpus gravissimum stat pendens universi cardine, ut cum Plinio loquar. Alterum axioma est, quod Magnum quoq; illum Basilium auctorem laudat, Diabolum esse perquám tenuem & agilem naturæ nimirum aëriæ seu igneæ spiritum. Ignem enim ab aëre non discerno, cum vel Aristotele teste, πῦρ nihil aliud quám aër rarefactus & incensus. Etsi autem spiritus nullam flammam corpoream aspectabilémque induant, tamen quandam igneam illis vim inesse, divinæ etiam literæ dicere videntur; Psalm. 104. Deus creat angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flammantem, ut ita angelus sit in morem ignis, purus, lucidus, splendidus, agilis, sub-

tilis, celer, eximia agendi potestate prædi-tus, nihil ponderis, nihil crassitiei aut impedimenti in sese habens: Ex quo etiam factum apparet, quód nonnunquam specie ignis & cum fulgore quodam hi Dei administri apparuerint.

Ex his ergo fundamentis Sagam ajo in superficie aquæ adhærescere, propter aëriam ideóq; levẽ Diaboli aspirationem, qua corpus Sagæ, quod sua natura grave est & tale manet, quasi librat, suffulcit, cohibet & coërcet, ne decidat.

Ut enim aër qui sursum fertur motu cõtinuo, & primum mobile irrequieto suo circuitu (quem motum raptus dicunt Physici) terram universam cum aquis ita circundat, fulcit, continet, constringit & quasi ligat, ut in medio universi pendeat immobilis, ne vel sursum vel deorsum vel in ullum latus inclinare aut ruere possit: (qua de re & Naso sic philosophatur.

*Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa,*
*Aëre subjecto tam grave pendet onus.*
*Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem* )

Et ut in aquam injectus uter non potest mergi, quamvis magna superingesta gestet pondera: etsi enim pondus ipsum deprimit, aët tamen inclusus rursum sublevat eum & attollit: Ita Sagę corpus gravę, ideó-

que

que sua natura deorsum nitens, vi spirabili, quam Dæmon occulté afflat, quasi libratur & gestatur, ut in aqua extrema sine periculo suffocationis fluitare possit.

Hic afflatus spiritus levissimi & potentissimi longé efficacior est, fortissimis ventis, qui subvehunt & in sublime projiciunt res vel gravissimas.

Nec veró admodum repugnaverim, si quis simpliciter dixerit, fulcrum Sagarum aquis innatantium esse ipsum Diabolum, cúm ex iis aliquæ visæ sibi fuerint anserem, quo sustinerentur, subjectum sibi habuisse.

Si quis forté pauló aliam quærit causam, is quid divinare aut suspicari probabiliter possit, non occurrit, nisi fieri istam supernatationẽ dicat spiritus seu anhelitus violenta coactáque cohibitione. Cúm enim spiritus retentio ex natura diuturna esse nõ possit, ut quæ non tantum sit voluntaria, sed etiam naturalis; á Diabolo, cujus Lamiæ sunt mancipia, fit validior, fortior & diuturnior, ut ita instar vesicæ in aquæ superficie natantis demergi nequeant. Sed his missis superiorem rationem sic declaro: Certum est, Ecstaticos veluti raptos extra sese ἀναισθήτους, hoc est, motu sensúque privatos jacere exanimis similes, &, vel aliquot dieb⁹ exactis, ceu ex profundissimo

ſimo Endymionis ſomno expergefactos, aut á morte in vitã revocatos ad ſeſe redire. Jam ſicut in Ecſtaſi (diabolica) Dæmon corpora cadaveribus ſimilia, ne fiat ſuffocatio, fovet molliter afflatis halitibus frigidiuſculis, per aliud quoddam ventilabrũ, quám pectoris & pulmonis, quæ membra tum, ſi res ſenſu dijudicetur, prorſus feré ita affectis quieſcũt: Seu ut cũ Peucero loquar, ſicut Dæmon in Lycaone, (qui figura lupi homo eſt) ne ſuffocetur, cordis calorem vel afflatu aëris ſufficientis vel leni prorſus & obſcuro motu ventilat: Sic Diabolus Sagis in aquam demiſſis aërem neceſſarium ſupernatationi afflat, ſpiritúve ſuo eas, ne peſſum eant, ſuſtinet. Eſt enim ei non exigua aëris conceſſa ἐξυσία, & ipſe, de quo anté meminimus, ſpiritus quidam tenuis & aërius magni nominis Theologis videtur: Quod & antiquiſſimorum Philoſophorum dogma fuiſſe, ex Heſiodo ſuſpicari licet, ut qui Dæmonas aërem indutos ἀοράτυς περιπατεῖν, hoc eſt, in terra inviſibiles inter homines obambulare ſcribat.

Quid quæris? Sané qua vi in aërem ſubvectæ Lamiæ ibidem aliquantiſper ſuſtentantur: eadem quoque virtute in aquæ ſuperficie ſuſtinẽtur. Sed externa ſpiritus vi illud fieri omni aſſeveratione confirmo.

Nam

Nam & ſacra narratio habet, quód DOMINI (hîc enim bonorum & malorum ſpirituum quædam inter ſe κοινότης, ὐ διαφορά, communitas, non differentia ſpectatur) quód inquam Domini angelus vatem Habacucum vertice prehenſum, & capitis coma ſublatum, ad cibum ferendum Danieli immaniſſimis leonibus objecto, Babylonem deportârit, & ſuper ſpecum IMPETU SUI SPIRITUS depoſuerit, ut eſt in veteri translatione, ubi Reverendi viri Dei Lutheri verſio habet, wie ein ſtärcker Wind: nam utramvis ſecutus fueris, in noſtræ aſſertionis ſententiam conceſſeris. Ut jam dubium non ſit, quin ad aquas delatæ veneficæ eas externa vi naturáque ſpirabili exuperent.

Quoquo igitur nos vertamus, ad naturam ac vim quandam πνευματικὴν nobis hîc confugiendum eſt: Quod & in ſimilibus eventis veteres feciſſe videmus. Ut enim ex veteri hiſtoria exemplum ſaltem unum idque ἀξιομνημόνευτον, in primíſque commemorabile repetam quam-breviſſimé (nec enim orationi habenas laxabo) de ſingulari eáque ancipiti probatione caſtitatis virginis per aquam Tiberinam in cribro conſiſtentem immotam, atq; ita μετέωρον, hoc eſt, in aëre ſuſpēſam legimus apud

Valerium Maximum. Titia ſcilicet Veſtalis virgo cū inceſti criminis rea eſſet, caſtitas ejus admirabiliter nube infamiæ diſcuſſa emerſit. Etenim conſcia ſibi integritatis ac ſanctitatis ſuæ, ſpem ſalutis ancipiti argumento petere non verita, arrepto cribro, O Veſta, inquit, ſi ſacris tuis ſemper caſtas manus admovi, effice, ut hoc cribo hauriam ex Tyberi aquam, eámque in ædem tibi conſecratam perferam. Quid fit? votis, inquit Valerius, audacter temeréque jactatis, ſacerdoti ipſa rerum natura ceſſit, hoc eſt, Aqua, quam natura fecit ita liquidam, ut vel per tenuiſſimas rimas defluat, in cribro remanſit. De quo docté ac tersé cecinit Poëta, quiſquis tandem ille fuit.

*Titia caſta fuit, ſed non eſt credita virgo,*
*Titia, diva, tuis, Veſta, operata ſacris.*
*Hoc ſimul ac ſenſit, tollens ad ſidera palmas*
*Dixit; Diva audi, jam tibi caſta negor:*
*Si rea ſum populo, me nunc ſpectante, miniſtra*
*Signa, quibus noſcar, ſi tibi caſta fui.*
*Dixit: & arrepto Tiberino in littore cribro,*
*Ipſa manu puram fluminis hauſit aquam:*
*Quam ſimul immotam nullóve foramine lapſam*
*Pertulit ad ſanctos virginitate focos,*
*Deſiit inceſti vulgo rea criminis eſſe,*
*Et caſtum viſa eſt aſſeruiſſe decus.*

Hic

Hic ergo Valerii interpres, quærens, qua vi aqua in cribro, ut instrumento crebris foraminibus pervio, permanserit; divináne, quæ castitatis amatrix etiam gentili mercedem castæ vitæ rependere voluerit; an diabolica, quæ in avita superstitione diutius homines detentos cupierit, respondet: POTUIT VIS ILLA OCCULTA aquam intra cribrum continere, quæ novit semen virile ad generationē transferre.

Explicui meam, quæ tamen non in meo animo nata, sed ex sobria Christianáq; Philosophia, ut spero, petita est, sententiam, Laconica prorsus brevitate.

De opinatione Epistolæ, de examine & purgatione Sagarum per aquam frigidam hoc anno editæ, reliquum est, ut videamus. Quod igitur striges super aquam tanquam solidum corpus feruntur, causam ejus affert spiritualem quandam levitatem corporum illarum, quam in ipsis formam interiorem cum naturalibus qualitatibus immutando effecerit Diabolus, qui substātialiter earum mentes, corda, totúmque corpus obsideat, & per ipsarum essentiam ac partes singulas sit diffusus, quod in Scholis nostris dicitur in esse κατὰ περιχώρησιν, ut ignis inest in ferro candente, &, de sententia quorundam, anima tota est in toto

& in qualibet parte tota. Quo quidem fit, ut Sagas definiat nové homines essentiam Diaboli participantes, eo, quo diximus, modo.

Sed quot hîc verba, tot propemodum attentiús de re cogitanti videri possint, παράδοξα, ὅπερ ἀποδεκτέον.

Principió; An dæmones substantialiter humanis sese inserant corporibus animísque illabantur: an veró tantúm malitiæ suæ effectum ibi exerceant, hominem divexando agitandóque ac subinde in peccatum præcipitãdo, á multis dubitari video. Ac historia quidem Evangelica comprobat quandóque dæmonia quibusdam insinuata atque inde per Christum ejecta. Utrúm veró κατ᾽ οὐσίαν dicantur ingressa, an propter mali effectum, in disceptationem venit.

Gennadius sentit, minimé credendum Dęmonas per operationem substantialiter illabi animæ: quod illabi menti Deo tantúm fas sit atque possibile. Beda, exponens illud in Actis; Cur tentavit Satanas cor tuum, notãdum, inquit, mentẽ hominis per substantiã nihil implere posse præter creatricem Deitatem. Implet veró Satan cor alicujus, non quidem illud ingressus, sed callida & fraudulenta deceptione, in malitiæ affectum animã trahens per cogitatio-nes

nes vitorúmque incentiva, quibus ille dies atque noctes ſcatet.

Itaque Ananiæ cor Satanas impleſſe narratur, quia malitiæ ſuæ virus infudit. In libro de ſpiritu & anima ſic item ſcriptum invenias, ſive auctor ſit Auguſtinus, ſive ex patribus alius quiſpiam.

Non naturæ vel ſubſtantię participatione animam implet Diabolus, aut ejus efficitur habitator, ſed per fraudulentam deceptionem atque malitiam in eo creditur habitare, quem implet.

Solius enim Trinitatis eſt intrare ac naturam implere ſive ſubſtãtiam, quã creavit.

Sed ego quod hi patres non facilę dederint, non gravaté dabo Epiſtolographo, Diabolum οὐσιωδῶς invadere & inhabitare poſſe hominem. Neq; enim dubito, qn, cúm ſit præpotens, ſagaciſſimus, in primiſquę levis ſpiritus Diabolus, in corpora vel ſolidiſſima penetrare poſſit. Hoc pacto olim locutus eſt in ſerpente, & ſæpe ſeſe induxit in ſtatuas, ſe ventri vel pectori obſeſſorum incluſit, qui græcis ſunt Enthuſiaſtæ Ἐγγαστρίμυθοι, ἐγγαστριμαντεῖς, fatidicũ ſecũ circumferentes ſpiritũ, qui in illis eſt κατὰ μεταγγισμὸν, id eſt, propemodum ut vas eſt in vaſe

Et experiẽtia noſtrorum etiam hominũ minimé dubitandum convincit, malum

ſpiritum interdum permiſſu Dei intró ſubire corpus hominis atque id variis & inauditis interdum morbis laceſſere, de quo eruditè Fernelius commentatur.

Largior & hoc, quód Dæmon non tantum ἐνεργητικῶς, ſed & ſubſtantialiter mẽtem ſagæ aliquando occupet. Quód veró ejus corpus veré obſideat ut ἐνεργουμένου nemo, puto, ſanę mentis largiendũ ſibi poſtulaverit. Nã veré ita σωματικῶς obſeſſi, á Diabolo, ut experientia teſtatur, crudeliter agitantur, miſerabiliter affliguntur, ſternuntur, præcipitantur, interdum velut utres inflati diſtenduntur, morbis excruciantur, iíſq; interdum ita gravibus ac acerbis, ut paroxyſmorum tempore ſeu in exacerbationibus mente conſtare vix atque ne vix quidem videantur. Præterea peregrina loquuntur dialecto, nec arrogant ſibi admirabilium rerum peritiam. Pacti alicujus cum Diabolo initi non meminerunt. Nec oblectantur unquã Dæmonis pręſentia, quippe quẽ longiſſimé & diutiſſimé adeóq; in perpetuum á ſe abeſſe exoptẽt. Denique veré obſeſſi omnes tempore quietis dolent ſe obſeſſos, ac deprecantur cũ gemitu, ſi qd dixerint aut fecerint minús recté. Horum nihil feré ſagis convenit. Eæ non ita á Diabolo torquẽtur ac divexantur, ſed proſpera valetudine utuntur: Nullum

oblæſæ

oblæsæ mentis signum ostendunt, nec peregrina lingua loquuntur: Jactitant veró edendi miracula scientiá. Interrogatæ fœdus cum Satana conflasse ac societatem cojisse uno omnes ore fatentur, amasios suos adesse lætantur, absentes ad se accersunt, tardiores urgent, adventantes cum plausu excipiunt, denique obsessas sese vix ullæ confitentur, & tantúm abest, ut pœnitentia se scelerum duci prę se ferant, ut in primis doleant, si infeliciter alea jacta videatur, & secus cadat quám voluerint. Si veró asseratur, perversum genium aliquando Sagæ corpus invadere ejúsque humoribus se miscere, spiritibus se insinuare, ut nimirum illos exasperet, hos turbet, quó eas ad cædes multáque funesta mala impellat, cur dissentiam habeo nihil.

Itaque si sobrié intelligas, corpus quandoq; etiam obsessum substantialiter, non negaverim. Istud veró nullo modo concedere possum (multo minús saniores Theologi) quod Epistola ejusmodi essentiæ diabolicæ participationem tribuit, Sagis, ut unionem quandam statuat κατὰ περιχώρησιν [per immeationem] Imó talẽ μέθεξιν naturæ, ac qualitatis Satanicę in iis comminiscitur, q̃ φθορὰν corruptione & interitũ formæ effecererit. Hæc .n. δύσφηματα sunt, & nescio q̃ Scholã olent, & ad quos scopulos impingunt.

pingunt. Nam ut eſt κοινωνία quædam, qua Deus piis, fide in ipſo acquieſcentibus, ſeſe communicat accenſa æterna luce & novis ſpiritualibus & ardentibus motibus, ut ita renati ſint κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως, quomodo non ſolúm ſcriptura ſed & Deus philoſophorũ Plato loquitur, veré dici poſſint: Sic non nego, ſed fateor eſſe κοινωνίαν aliquam ſeu communicationem Diaboli qua inhalat impiis virus ſuum, turbat rationem, mentem furoribus implicat, ſive impetum fatidicum immittit. Sed iſta communio ſpiritualis naturæ & hominum non eſt ita amplificanda, ut potiús ταυτότης καὶ σύγχυσις, hoc eſt identitas vel confuſio fiat, quam ὁμοιότης. Ad ſummam, non eſt unius ejuſdémque eſſentię, ſed accidentalis inter Diabolum & mancipia ejus ſocietas & cõmunio, nec tanta divinitus Diabolo conceſſa eſt poteſtas, ut veram transformationem ſeu interioris formæ mutationem efficere poſſit.

Etenim ut in ecſtaſi Diabolus compagem animæ cum corpore admirabilem diſſolvere exemptis animis ac repoſitis iiſdem diſſolutam anté conglutinare rurſus ac compingere univerſa ſua potentia ac ſapientia non poteſt: Sic nulla ex parte in veneficis formam eſſentialem deſtruere poteſt. Sané cujus eſt creare, ejus ſolius eſt naturam

turam essentialiter trãsmutare & formaliter corrumpere aut destruere, ac novam rei formam indere. Sed prius solius est D E I. Ergo posterius facultatem naturæ dæmonis transcendit, etsi aliâs mirifica πανουργήματα præstare posse eum inficiando non simus. Ita intraverat Satanas Judam, ut Christus eum vocet Diabolum. Nec tamen dici potest Diabolum Judæ impressisse novam formam, diabolicam videlicet, aut priorem, humanam puta, elisisse atque extrivisse. Quo ore igitur dici potest in sagis formam pristinam periisse? Addo & hoc: si pristinam formæ στάσιν amiserunt maleficæ, quomodo amplius homines vocabuntur & erunt? Forma enim pereunte sublatáve, & nomen & definitio & essentia rei pereat necesse est: Itaque toto genere Sagæ different ab aliis mulieribus, quod est absurdum. Qamobrem manifestæ se implicat contradictioni Epistola, quód ait Sagas adhuc esse homines, & tamen formam earum periisse.

Huc accedit, quód & Diabolus sæpissimé substantia sua est extra Sagas, & quædam ex his redeunt ad Deum, & pœnitentiæ fructus edunt. Id profectó argumento est, Diabolum adesse illis separabiliter & societate auxilii tantúm, nec formam cum naturalibus qualitatibus (cujusmodi est gravi-

gravitas ) in ipsis immutare, sed ἐνέργειαν tantúm earum impedire.

Si enim Diabolus singulas partes essentię Sagę obsidet substantialiter, ita ut à nulla corporis parte abesse possit, & diabolicam aliquam formam illis imprimit, quomodo quæso possunt Sagæ μετανοεῖν & converti: De mutatione satanica gravitatis Sagarũ in levitatẽ spiritualẽ fictitia qd multis agam? Nam, ut non dicam subitam mutationem texturæ qualitatum in corpore, ut fiat ex denso rarum, ex ponderoso leve, creatricis potentiæ opus esse: si gravitas Sagæ nihil obstat Diabolo quo minús illam vel in aëre suspensam vel in exteriore aquæ superficie extantẽ sustinere possit, quorsum attinet levitatem corpori Sagarum affingere? Historia Ecclesiastica testis est locuples, Simonem Magum, cui Nero honorariam dedicavit statuam, in aëre circumvolitare potuisse. In ista corporis suspensione & sublatione mãsit, credo, corpus Magi grave ( nec factum est in sese aërium vel ætherium ) Illud ipsum veró attollere & quasi suffulcire, ac ita gravitatis consequens impedire Diabolo per quám facile, qui & illum tandem præcipitavit. Ignis Babylõicus etsi non læsit tres sanctos viros in fornacem conjectos, non tamen ex calido factus est frigidus. Ignis enim, qui non

non est calidus ἐκτικῶς seu actu primo, seu in substantia sua, non est ignis: Sed ἐνέργεια ejus impediebatur, seu actio ejus aliquandiu suspendebatur divinitus, ne ureret, ut ita non esset calidus actu secundo. Sic etsi Sagæ non submergantur, manet tamen in earum corporibus naturalis gravitas: tantum hujus effectus, deorsum scilicet latio, á Dæmone impeditur, ejus vi operáque illæ in Sphæra aëris supra aquam retinentur. Quid multa? cúm Sagæ in aquam demittuntur, cúm vehuntur, cúm trahuntur aut gestantur, deprehenditur sensu in iis gravitas elementaris. Imó sentiunt ipsæ ac sciunt indubitató, se esse graves: ideó in aërem exportandæ, interdum hircum conscendunt, quo subvehantur, interdum scopis intra crura positis & verbis quibusdam abutuntur, interdum denique pingui unguento sese illinunt. Non itaque Dæmon communicat cum eis essentiali quadam infusione levitatem, hoc est, non reddit earum corpus leve, ut corpus sit levitatis satanicæ subjectum δεκτικόν.

Ex his omnibus liquet, primúm hoc quoque argumentum nullum esse, nedum verisimile, ut Epistola putat: Diabolus sæpe numero magicas mulieres μετεώρους facit in

sublimem

ſublimem uſque aërem trahit. Ergo quoq; probabile eſt, cúm aquis ſuperiores ſint, corpus earum redditum eſſe leve, vel eſſentialiter infuſum eſſe, ac inhærere corpori ipſarum ſpiritum Diaboli. Deindè ex iiſdẽ judicare non difficile eſt, cujuſmodi ſit iſtud, quod in fine Epiſtolæ cauſſa efficiens purgationis Sagarum per aquam frigidam dicitur eſſe ſpiritualis in ipſarum corpore, quæ á ſimili in eo contenta levitate oriatur, attractio. Vult hìc λογογράφος, niſi forte quid me fallit: Ut mellis aut ſaccari dulcedinem vas contrahit eóque imbuitur, ut olei pinguedinem charta imbibit, ut ferrũ δύναμιν ac vim Heraclii ſeu Magnetis, ita ut aliud ferrũ poſſit attrahere, in ſe recipit: Sic à Sagis Diaboli levitatẽ attrahi, & corpore ipſorũ recipi. Rationes hujus aſſertionis nullæ compârent: Ac paulo antè contrarium feré dixi: quod nimirum Diabolus ſpiritu ſuo maleficarum corpora attrahat, ut per ejus levitatem ſuſtentatæ volentes nolentes ſub aquas ferri non poſſint: quæ ſententia mihi nõ diſplicet, modó imaginatio de eſſentiali diffuſione ac infuſione atque inhæſione ea, qua illæ novam formam acceperint, abjiciatur. At ais forté: conſentaneum eſt, Magas ex conſortio Diabolorum, ſuſpenſorum fortaſſe corpora aut alia cadavera ad corporeas actiones

nes mutuantium, fœtorem cõtrahere: quì ergo absurdum alicui videatur, easdem á magligno spiritu levitatem quandam corporis contrahere? Ego veró inquam comparationẽ hanc nihil habere roboris, quód dissimiles sint qualitates fœtor & levitas. Nã levitas Diabolo inest κατὰ φύσιν, fœtor veró ex accidenti, vel, ut rectiús dicã, quasi per accidens & κάτ᾽ ἄλλο, seu corpori ejus ascititio: et illa quidem qualitas spiritualis: hæc veró crassior sensiliórq; & σωματοδέστερον τι: ut gravitas hircina multó faciliús sit κοινώνητος, quám levitas. Nec consequens est, uno adjuncto communicato protinus communicari reliqua: ut ferro communicatur ignis caliditas & urendi vis: levitas & raritas non communicantur. Portó acquisititiæ Veneficarũ levitatis firmamentum constituere videris in eo, quód Diabolus totam illarum essentiam impleat. Sed religio mihi est dicere, substantialiter per animam & totum corpus Sagarũ spiritum illum diffusum, cúm, quód ad οὐσίαν attinet, ὁριστικῶς id est, definitive sit in loco, citra ullam extensionem ac diductionem. Ea re cum forté mulieris Veneficæ mentem occupat οὐσιωδῶς, túm singulas corporis partes simul οὐσιωδῶς obsidere an possit, haud scio.

Non nego, quód aliquos homines totos

quandóque obſeſſos teneat: ſed quia non eſt aliquid expanſum, & locum ſeu Ubi in corpore mutat, jam hanc jam illam partem ſubiens, non ſimul omnia eum membra uno temporis puncto τῇ ὀυσίᾳ obſidere apparet. Egregium olim Academię VVittenbergenſis ornamentum Peucerus vidiſſe ſe narrat Dæmonē in puella quadam obſeſſa ſub ſumma cute muris figura varié diſcurrentem, qui mox abdens ſeſe in imum ventrem ex oculis evanuerit, mox proſiliens rurſus ſub pectoris aut frontis toroſioribus partibus proruperit. Ut igitur tandem finis ſit: quemadmodum Diabolus ecſtaticorum illorum, qui ejus ſunt domicilia, mentes occupat eiſque varia phantaſmata infundit, nec tamen ſatanicam eſſentiam ac divinitus huic ingeneratas qualitates illi participant: ita ajo adeſſe etiam Lamiis ſine ſuæ eſſentiæ, ac á Deo inſitarū (concreatas appellitant οἱ θεολογοῦντες proprietatum participatione, minimé interim negans, quód mentes earum intret, depravet, pervertat.

Longiús excurrit oratio mea, quám inſtitueram, cúm temporis ratio in tam celebri auguſtáq; candidatorum noſtrorum copia habenda ſit.

Adhuc ergo proœmiū & quaſi προαύλιον act⁹ noſtri ſolennis fuit, quo ſine ambitioſo

ſo ornatu, túm cur Sagæ, alicubi in proflu-entem demiſſæ dejectæve, in extrema aqua fluctuãtes non demergantur, rationes noſtras explicavimus: túm quæ nobis obſtare videbãtur infirmavimus, interim, an iſtiuſmodi ſtrigum examen, an iſta mulierculaꝛum, quæ in hominum voculas inciderunt, per aquas purgatio, qua tanquam falſi criminis reatum maculámque eluere coguntur, tuta ſatis juſtáque ſit, ac pietati cõſentanea, Theologorum, Juriſcõſultorum & prudentum Magiſtratuum diſputationibus ac judiciis relinquentes.

Nunc porró quod reſtat agamus, hoc eſt, ad id quod actus & publici hujus congreſſus caput eſt, promotionem videlicet ipſam, propius aggrediamur.

*Typographus candido lectori.*

*Scias candide lector ſubiectam hiſtoriam de Otthone 3. in Oratione Gocleniana prioris editionis quam imitatus ſum in hoc exemplari fortaſſis incuria iſtius Typographi neglectam, poſt* §. *ſed ἐνέργεια eius &c. fol. 131. inſerendam eſſe.*

Ottho III (ut eſt apud Sebaſt. Munſterum) vxorem habuit Mariam de Aragonia, fœminam impudicam & virorum appetentiſſimam, quæ ſecum muliebri habitu circumduxit juvenem, quicum gredie batur quotidie, quandoquidem eo pro cubicularia utebatur. Quod cum innotuiſſet impe-

ratori, juvenis, multis præsentibus, vestib. est spoliatus, inventúsque pro fœmina masculus, vivus deinde combustus est. Sed & imperatrix, cum sæpius viros peteret, quã peteretur, amore suo exstincto, cúm ab Imperatore veniam meruisset, in Italia circa Mutinam Comitem quendam elegantis formæ, & virum optimum cœpit deperire, multísque blanditiis conata est eum in sui amorem pellicere: cui cúm assentiri nollet, falsis delationibus ab ea apud Imperatorem accusatus, pœna tandem capitis damnatus est: uxor veró Comitis, conscia sibi innocentię mariti sui, caput ejus abscissum deosculatur, & secum ablatum diligenter recondit. Deinde ad Imperatoré in tribunali sedentem properans magno clamore & ejulatu, petit causam suam recté cognsci & legum autoritate defendi. Sciscitanti itaque Imperatori, á quonam læsa esset: tu, inquit, ô Imperator es, á quo sum læsa, simúlq; in medium projiciens mariti sui caput, hunc maritũ meũ, exclamat, contra jus & fas capite mulctasti: & statim cãdens ferrú illæsis manibus apprehẽdens, mariti sui innocentiã cum stupore omnium, qui aderant, comprobavít. Ibi Imperator detecta rei veritate, graviter commotus viduam multis muneribus & castris donavit, suam veró vxorem flammis addixit. Hic

in

in igne juveni & Imperatrici exurendis destinato naturalis energia mãsit, nulla vi externa impedita: sed in igne ferri candentis vis & operatio inhibita fuit á non physico agente, manente interim qualitate congenita.

## QUÆSTIONUM IN HOC LIBRO RESOLUTARUM ELENCHUS.

# INDEX.
# RERUM ET VERBORUM
## Locupletissimus.

A.



Con-

Divisio-

Ovidi-

Q.

Q.

FINIS.